1.

Insidiæ Structæ,

OLAI RUDBECKII Sueci

DUCTIBUS HEPATICIS

Aquosis, &


VASIS GLANDULARUM

Serosis.

Arosiæ editis.

a

THOMA BARTHOLINO
Medico Regio Professore & Anatomico
in Academia Hafniensi.







LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina ADRIANI WINGAERDEN.

CIϽ IϽ C LIV.

LECTORI
SALUTEM.

PRODIIT nuper in lucem Francofurti ad Oceanum Balticum, typis Petri Hauboldi, scriptum aliquod, cui titulum Author fecit, insidiæ structæ Cl. Viri Thomæ Bartholini vasis lymphaticis, &c. Cujus videndi copiam quum primum fecisset Cl. M. Wilhelmus Wormius, amicus integerrimus, mirabar frontispicio inscriptum nomen Martini Bogdan, hominis mihi prorsus ignoti, & quo cum nullum intercessit negotium, scriptum ipsum legens, prorsus mihi persuasi emendicatum esse illud nomen, quod titulus præ se fert, & voluisse eum, cujus res agi videbatur, famam sibi aliena sub larvâ asserere. Compertum enim habeo ex relatu eorum, qui Martinum Bogdanum optime norunt, non esse eum, qui possit vel tantum in Anatomicis præstare, atque ultra Medicinæ prima rudimenta, nihil in arte sapere, & occupari potissimum in pueris instituendis. non putavi itaque rem mihi esse debere cum homine ignoto, imperito, & tantum non iniquo mihi, vel propterea quod nullo ipsum verbo læserim, aut ad scriptum adeo vi-

rulentum, & calumniarum plenum provocaverim. Ad Te me converto Cl. Bartholine: Tuum hoc scriptum est, vel quia pro Te: Tua res agitur: Tibi insidiæ structæ sunt, si structas possis probare. Præter Te alius non est, qui depugnare pro vasis lymphaticis a se inventis possit. Tecum itaque res mihi necessario esse debet, seu à quo mihi imposita necessitas est, famam meam atque exstimationem defendendi. Nosti Juris consultos pro crudeli habere, qui famam suam negligit. Doleo autem me, quem tantum non pro puero habes, congredi debere, cum viro tanti nominis, majorisque futuri, si didicerit famâ modestè uti. Impar fateor congressus Achillis. agnosco in Te Cl. Vir dotes eximias: opto Tibi, ut ijs non efferare, neque abutare, ad supprimendos conatus eorum, qui licet in multis Tecum paria facere non possunt sperant tamen & se aliquid posse, nec contemnendum adferre ad notitiam corporis nostri majorem & accuratiorem consequendam, quam hactenus habemus, res enim hæc non tam eruditionis, quam studii est, non tam industriæ, quam diligentiæ. Ipsus novisti multa se arcana naturam scrutantibus offerre, quæ eruditos latent in perpetuum. Nec dubium est posse Anatomicum esse, etiam eum qui linguas eruditas non novit. frustra itaque Tibi nauci videor,
quod

quod Latinam linguam ad Tuum gustum non calleam. Neque is sum, qui in pretio viros eruditos habens, iis invidere famam suam velim, aut quicquam de honore merito detrahere. Multo minus is sum, qui convitia mihi dicta quantumvis virulenta, indigna, atque immerita, revocare ad animum velim. aut talionis lege paria reponere. Neque lubet bacchæ bacchanti adversarier, si vel hoc ipsum pateris à me dici. Præteritis itaque omnibus convitijs, injuriis, calumniis, aliisque id genus quam potero modestissime famam meam defensum ibo. Priusquam igitur ad singula veniam, hoc libet in genere confiteri, non videre in Tuo scripto rationes tales, quibus veritatem, quam pro me habeo, everteris. fatebitur id quicunque priora mea legerit, & cum recens editis contulerit. Videbit ibi pleraque aliena, contortas interpretationes, res autem ita iejune tractatas, ut respondere iis nihil sit facilius, quod ego admonere lectorem non desinam; quoties id rerum ordo postulabit. Vix decima pars est eorum, quæ ibi continentur, quæ sapiunt dissertationem realem: pleraque logomachiæ sunt, neque puto. Hunc unum & primarium esse scripti mei scopum debere, ut ostendam Bartholinum falso sibi vendicare Vasorum lymphaticorum inventionem; atque

eam mihi juxta & nomen atque authoritatem conciliem. Hoc enim esset laureolum in Mustaceo quærere neque enim Cl. Bartholine, siquidem Tui istorum ductuum sis inventor, propterea unquam Alexandro Magno æquiparaberis; neque si ego primas hac in parte mereor Parmenio fiam. Certa res est, judicium hac de re plane pendere ex aliorum arbitrio. Qua propter serram contentionis super hac re tecum ducere animus non est. Non possum tamen, si in eam rem quandoque incidero, moneam lectorem, quam temere toties mendacii à Te insimuler. Erit hæc Cl. Bartholine, totiûs hujus scripti apologetici, & instituti ratio, ut evidenter demonstrem, convitium, quod mihi objicis de furto commisso, non solum esse nullum, sed etiam homine nedum docto, nedum Christiano, indignum. Sequar autem Tua ipsius vestigia.

MEMBRUM I.

Falso argui me commissi furti.

TOtus est primum in eo Author; ut convincat me ê suo tractatu suffuratum esse, quæcunque meo inserui, adeoque aliena pro meis venditasse. Sed ficulnea plane sunt omnia, quibus objectio illa nititur; imo

ne

ne ſpeciem quidem veri habent. Quamobrem ne mihi ipſi injurius ſim, probabo evidentiſſime Bartholini tractatum ne ex auditu quidem mihi innotuiſſe, quamdiu in Suecia fuerim, primumque Hamburgi, 16. Auguſti viſum, ubi in tranſitu dies aliquot moratus, forte in officina templi ni fallor S^{t}. Joannis eum offendi, emique novitate tituli illectus. Retulitque tum mihi ſocioque meo itineris D^{n}. Johanni Palm bibliopola, incidens in verba de Slegelio, Anatomico Hamburgenſi, non ſine offenſione quorundam lecta fuiſſe, quæ de ipſo Cl. Bartholinus ſcripſit, P. 27. editione prima. Nam cautior deinde calamus in recentiore emendavit.

Certo etiam affirmare poſſum Cl. Bartholini tractatum in Suecia tunc, cum Holmiæ ſolverem, nulli fuiſſe viſum, aut de eo quicquam publice conſtitiſſe. Nihil enim aut Janſſonius, qui primus peregrina inferre ſolet, aut quiſpiam domeſticorum de eo reſcivit. Unde nec ego prodiiſſe tale quidpiam divinare potui, multo minus aliquid ex eo accipere.

Quod magis eſt, jam Anno 1652. menſe Aprili demonſtravi ductus hoſce aquoſos Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Reginæ noſtræ; Cum conſtet Cl. Bartholinum eo tempore nondum perveniſſe in notitiam eorum. In tractatu enim de Lacteis thoracicis, cujus editio

vulgata est mense Majo ejusdem anni, sanguificationem in Hepate fieri adhuc credidit, & ductus Hepaticos, si geminos viderit, lacteas esse venas putavit, vide quæ scripsit, Cap. 15. Pag. mihi 99. quam egregie ergo hallucinatur in chronologia, quæ hic unice locum habet.

Post habitam a me disputationem de Circulatione sanguinis Anno 1652. mense Majo sub præsidio Cl. Viri Dn. Olai Stenii: Med: Profess: Regii, Mathematici celeberrimi, nunquam sine honore a me nominandi, delineationem lactearum thoracicarum, & ductuum Hepaticorum, non modo Cl. Bourdelotio, qui Ubsaliæ Habitæ sectioni non interfuerat, verum etiam Sereniss. Reginæ demonstravi, quod ecquis facere me ausum putet, si usus fuissem Cl. Bartholino ea in re doctore, quomodo autem uti potui, cum constet illum sequente demum anno 1653. tractatum de Vasis Lymphaticis evulgasse?

Accedit, quod testimoniis a me evinci potest, jam tum paratas habuisse tabulas & æri incidendas tradidisse Erico Unger, eumque spem meam fefellisse in maturanda opera, unde videns me trahi, recepi meas figuras, easq; Cl. Magno Celsio tradidi, qui paulo etiam serius, licet, eas tamen cælo suo adornavi. retardatus præterea fui delineatione plurimo-

rum

rum (erant enim ultra sexaginta) instrumentorum Mechanicorum à me juventorum, quæ Majestati offerre necessum habebam.

Denique nec id denegari potest, Anno 1652. habitam a me fuisse disputationem publicam Sereniss: Regiæ Majestati dedicatam, in qua aperte ademi Hepati, illustre illud atque tot seculis vulgatum sanguificationis munus. Qua itaque ratione commode id facere potui, nisi longe ante prævidissem, hos ductus abducere humorem ab Hepate, & non ad Hepar adducere. Cum tamen Cl. Bartholinus in Tractatu de lacteis thoracicis, qui prodiit eodem mense strenue asseveraverit Hepar sanguificationis esse organum. Cap. 15. Pag. 59. Hæc sunt, quæ forte paulo prolixius narrare volui, ut clare ostenderem, me si quid hac in re egerim, ne in minimis quidem Cl. Bartholini opera usum fuisse.

MEMBRUM II.

Cl. Bartholinum non esse primum juventorem & Authorem ductuum Hepaticorum.

Qui prius membrum perlegit, cognoscet equidem post refutatam calumniam de commisso furto, Cl. Bartholinum non esse ductuum aquosorum inventorem, quod si interim concedam, quod ipse dicit Pag. 196. ea

vaſa a ſe inventa eſſe menſe Decembri Anno 1651. & Febr: 1652. Id tamen non poteſt mihi obeſſe, qui etiam teſtimonio non uno probare poſſum, jam Anno 1650. ea me habuiſſe cognita & perſpecta. quod vero rei teſtes non produxeriminde non firma oritur argumentandi machina, Cl. Bartholinum eſſe primum juventorem. Nec Cl. Bartholinus ademerit Aſellio, van Horne, Wirſungio, Harvejo, Pecqueto, viris excellentiſſimis, laudem eorum, quæ ab ipſis inventa ſunt, licet publicis teſtibus in rudimentis ipſis & experimentis primis caruerint.

Scribit etiam Cl. Bartholinus in hiſtoria ſua Anatomica, Cent: 2. Pag. 256. doctiſſimum Wilhelmum Wormium interfuiſſe hiſce demonſtrationibus: quod parum fideliter ab ipſo notatum eſt. Nam ſi doctiſſimus Wormius demonſtratione ipſius, & autopſia edoctus viderit vaſa illa, non opus fuiſſet operam meam apud Cl: Doct: van Horne Anatomicum inſignem, omni honore proſequendum, hac in re ſollicitare quam amico etiam denegare non volui.

Deinde publica eſt confeſſio Cl. Bartholini, ſe adhuc Anno 1652. Menſe Majo habuiſſe ductus illos pro vaſis lacteis, cum tamen, ut nunc ſcribit, inveniſſet illos Anno 1651. menſe De-
cembri

cembri & 1652. in Februario. quis non cognoſcit errorem adeo defendi: ea enim ratione etiam Veſlingius & Highmorus ipſius Cl. Bartholini confeſſione priores invenerint, quo de viderit ille, mihi quippe non idem videtur, ſi quid vidiſſe ſufficit, nec obſtet ignorare quid videris. Omnes laniones Anatomici audient, & multarum rerum inventores, quia multa contigit ipſis videre, quorum naturam plane ignorant. Nunquam me putabo inveniſſe aliqua, niſi quorum originem, inſertionem, ductum, ſitum, aliave eo ſpectantia accurate cognovero. Ad probandum & evincendum te ductuum horum inventorem eſſe, neceſſum erat, aut expungere omnia in quibus ipſe te erraſſe fateris, dum vaſa ea pro lacteis habuiſti, aut vero ſimilius argumentum invenire, quam hactenus produxeris. Eodem Anno, puta 1652. Menſe Majo admodum reverendus Doctor Stigzelius SS. Theologiæ Profeſſor Primarius, quem hic honoris & obſervantiæ cauſa nomino, petiit, ſæpiuſque ſuaſit, ut eos ductus Hepaticos, & reliqua a me inventa publico bono uſuique in lucem emitterem; ſed exiſtimavi tutius fore, ſi meliori tempori ea reſervarem, tum ut auctiora ſingula prodirent, tum ut addi poſſent plura.

Porro Cl. Bartholine (dabis enim mihi ve-

niam) si exercitatissimus es, & annuo cum semestri spatio absolvisti illam Hecatombem, quam Anno 1652. inquirendis vasis lymphaticis consecrasti prout videre est in tua Historia Anatomica XLVIII. Cent: 2. Pag. 252. Cur tam incerta, dubia, non dicam falsa figuræ tuæ inseruisti, quæ vitare potuit is in suis, quem Tyronem vocitas? utor hic eodem gladio, quo tu adversus Pecquetum usus es, Fol: 120. Nam singula quę figura tua expresset, nunquam neque hic Lugduni, neque in Suecia ullius animalis sectio manifestavit. Concludo itaque te peracta una alteraque sectione, statim ruditer omnia sicut primo deprehenderas curasse delineari, & postea evulgasse.

Ceterum neque possum præterire ea, quæ in pervolvendis suis tractatibus de lacteis & vasis lymphaticis a me observata sunt, tanquam testimonia inconstantiæ tuæ. Confiteris te lacteas Anno 1652. mense Febr. invenisse, & mense Majo ejusdem Anni divulgasse: vasa vero lymphatica Anno 1651. mense Decembri reperisse, & commisisse typis mense Majo 1653. His ita positis secundum propriam tuam chronologiam concluderem quidem brevius intercessisse tempus, inter lactearum inventum & earundem editionem, longius autem inter vasorum lymphaticorum inventum & eorum

eorum evulgationem, nisi alia essent, quæ contraria me suspicari cogerent. Repetis enim toties in tractatu de vasis lymphaticis, ut & de dubiis lacteis, te lymphatica vasa *nuper, nuperrime, nuper adeo, tam nuper* invenisse, quod de lacteis thoracicis non dicis, quæ tamen trimestri (ut dictum est) spatio; lymphatica vero plus quam annuo post inventionem eorum descripseras. Qua igitur probabili ratione verba hæc: *nuper nuperrime*, &c. convenire possunt vasis lymphaticis, inter quorum inventionem & editionem effluxit spatium unius anni cum dimidio? rectius certæ ea verba convenissent lacteis thoracicis. Manifestum itaque evadit, vasa lymphatica longe post lacteas a te inventa fuisse, & quidem An. 1653.

Denique pro conclusione hujus membri notari potest, suspicionem haud exiguam inquietæ conscientiæ deprehendi ex aliis tuis verbis, quæ sparsim ex tuis scriptis animadverti. Leguntur in Tractatu de lacteis thoracicis, Cap. 9. Pag. 21. hæc verba sequentia: *mirum observavimus in cane quodam satis magno & sano, septimâ post pastum horâ aperto, ductus lacteis similimos, sed modo lacte, modo sero pellucidos &c.* Deinde Cap. 12. Pag. 38. *singulare est, quod in cane quodam septima post pastum hora dissecto vidimus ad pedes anteriores &c.* hisce verbis fateris nunquam

quam te vidisse hæc vasa quam bis, ante editum in Majo Tractatum de lacteis thoracicis. nunc autem contrarium in historia de vasis lymphaticis inquis Fol: 196. *observavimus quidem sæpe in canibus dissectis in primis* XV. *Decembris Anno 1651. IX. Ian: 1652. ex hepate aquosos ductus*, deinde in tua Apologia Fol: 21. 11. Jan: 1652, iterum in vasis lymphaticis Pag. 196, 18 Febr. 1652. & Pag. 166. *Inter has congitationes minor canis commode offertur*; & paulo post: *repetita inde sæpius in alijs canibus &c.* hæc si vera sunt indicas te multoties illa vasa vidisse, & ad minimum quinquies ante editas lacteas. Hæ tuæ confessionem contrariæ à nullo conciliari possunt sine verborum & syllabarum quarundam exclusione, uti te in scripto apologetico fecisse animadverti. Nam ut defenderes illud, quod in Tractatu de V. L. te toties vidisse vasa lymph: ante editas lacteas gloriaris, necessum tibi erat verba in tractatu de lacteis corrumpere. itaque mirum *observamus* pro *observavimus*, in *cane* pro *cane quodam* substituisti, Hic *observamus* indefinite magis ponitur quam *observavimus*; sicut & vocabulum *canis* absolute positum includit non unum, sed multos adeoque æquipollet plurali numero canibus. Eodem modo in altera citatione processisti; *singulare est quod in cane pro cane quodam, ut extat*

Pag,

Pag. 86. Tract. de lacteis thoracicis. Ulterius dicis ductus hos quos observasti 15. Decembris 1651. *lacteis similimos, sed modo lacte, modo sero pellucidos.* In Historia autem Anatomica XLVIII. Cent. II. ubi de eadem sectione loqueris. *ecce 15. Decembris 1651. multi comparebant; non candidi lactearum more, sed splendentes colore hyatidum.* Hæc omnia plane incongrua sunt, quæ inconstantiam verborum, quam in me sæpe damnare injuria soles, arguunt.

MEMBRUM III.

POstquam expendi aliqua momenta generalia, quæ mihi in sequentibus proderunt, reliquum est, ut tua verba Cl: Vir, agrediar examinare; quæ tanto minus paritura laboris existimo, quanto longius a veritate absunt. Nulla sciens prætetibo, quę recens inventi materiam concernunt, quo minus luce meridiana clariora evadant singula, sine affectu tamen & ambitione, quibus gravari solent ii, qui damnum in conscientia metuunt. seriem ergo verborum ut sequar, primum omnium adducam tua verba, quæ Pag. 4. O. lin. 29. leguntur.

Ad

Ad Proëmium I. notatur Cl. Bartholinum publicos testes habere, quod primus sit eorum vasorum (ductuum) inventor.

Plus pavoris quam animi Rudbek habes, qui deseris consilium, quod defendere debes. Et quia te conscium falsi scis, Terentii illud adeò timuisti, ut id absquè mendâ non inseueris:

Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.

Magis acris judicii homo es, qui eruditè hæc invertis, ut fœnum putidum pro auro puro vendas. Multa jam dicta esse inque posterum dici posse, quæ non sunt dicta prius. *Quam inepta hæc sunt, nil certi profers, & an unquam aliquid de ductu hepatico dictum sit, aut an adhuc dici debeat? Applica hæc, nil tibi proderunt. Dudum Ductus hepatici antequam ipsis tuum nomen affingeres, sub Vasis lymphaticis Bartholini innotuêre, & priusquam tuâ injustâ manu tractares, Duce Bartholino Eruditorum limina salutarunt. Hoc Naturæ beneficium Cl. Bartholinus artis munere postea exornavit, ut omnes Docti hoc in isto possessore laudent. Privata testimonia*

nia prateribo , cum tu Rudbek tu fratris ambias epistolam , ut superbus in hoc sterqulinio autorem despicias. Publicè Excellentiss. Rolfink Professor Jenæ in sua Dissertatione de Hepate CIϽ IϽ C LIII. editâ, non veretur asserere. Nunc v. Bartholinus ἀγαθῇ ψύχῃ. immortalis nominis cum gloriâ, repertis à se lymphaticis omni sanguificationis honore , tot seculorum applausu decantatum jecur spoliat. *Ex sequiis etiam Hepatis ; tot seculorum abdominis nostri rectoris à Cl. Bartholino editis, dictam dissertationem exornat. Nil de te Rudbek nil de tuo ductu hepatico , aut vasis glandularum serosis Vir candidus protulit.*

Quod ad testimonium publicum (quod hic affers) attinet , prætermissis cæteris omnibus, quibus in me veheris , illud contra me non pugnat. sit in eo excell: Rolfink Professor Jenensis testis , Te , repertis vasis lymphaticis omni sanguificationis honore jecur spoliasse ; ea verba , Cl. Bartholine, non probant te esse ductuum hepaticorum primum inventorem, sed tuum Tractatum prius quam meum ab ipso visum fuisse hæc tua illatio non plus habet roboris , quam eorum , qui de invento Typographiæ anxie labarantes Moguntinis illud attribuunt eo quod multi impressos Moguntiæ libros primum videre , beneficio tamen typorum Belgicorum , quos furto subreptos , & in Ger-

Germaniam delatos fuisse apud omnes cordatiores in confessó est. Eodem pacto & ego absurde concluderem de Veslingio, quia nos in Suecia prius ejus anatomiam, in qua lacteæ mesenterii descriptæ sunt, antequam Asellii tractatum de iis editum, vidimus; ergo Veslingium merito appellari earum inventorem, cujus tamen inventi laudem Asellio deberi unanimiter viri doctissimi affirmant, tale est tuum argumentum Cl. Bartholine, quod non modo frustra, verum etiam parum apposite nectis.

II. *Hippocratem non primum redegisse Medicinam in ordinem.*

pictum.

Ea fuit totius proœmii mei ratio, ut in genere ostenderem artem Medicam non fuisse hominis unius inventum; sed multis Hominibus acceptum referri debere. Inter eos, quorum hac in re decantata laus fuit ab omnibus, Græcos posui, atque in iis Hippocratem, id an jure notam mereatur; lector viderit. cæterum id mihi falso objicitur; quod scripserim, Hippocratem redegisse Medicinam in ordinem, quod verba mea aperte testantur: Pag: 243. *postea autem Galenus Pergamenus; nunquid ne ab Hippocrate*

crate & sua accepit, methodo incomparabili comprehensa cum aliis communicavit? quod etsi me non scripsisse liquet; tamen si scripsissem, non doleret. Meministi credo, id laudis Hippocrati Celsum dare in proœmio, quod primus Medicinam à sapientiæ studio separaverit. Id an facere potuerit sine constitutione artis, tu forte melius judicaveris. Doctos scio in libris Hippocraticis qua res & methodum invenire & deprædicare, quod alibi & vel in ipso Galeno desideres. Verum huc ego me non immitto, ceu qui existimem, eos me fecisse progressus, quorum fiducia præsumam de tantis autoribus, rebusque ab ipsis tractatis judicium.

III. *Nec Aeginetam esse Arabem.*

Majorem tamen inscitiam detegis Rudbek; qui Æginetam inter Arabes retulisti. Quem scripta & Patria Ægina, & urbs & Insula hoc nomine græcum indicant. Plin. lib. 4. c. 12. Mela. c. 7. p. 98. Isocrat in Evagria. Opera Iani Cornarii & aliorum ipsum latine legimus, in nulla tamen Bibliotheca quantum constat arabicè latent: Vide Rudbek quanta nox tuis oculis circumfusa! antequam lucem conspicias, quæ nebulæ discutiendæ! quas inevitabiles tibi esse confiteris, cum conquararis: Oculi plus vident

quam oculus. Ego majus tibi concredam. Adhuc minus duo oculi vident quam unus, si invidissimi furtim in aliena domo hæreant, & latebras sequantur, in quibus non discernunt, quid lucrum commendet. Excidunt timidis & ignotis indicia, quæ viam ad furtum faciunt in tantâ caligine; quamobrem temeritas solet ipsos aperto crimini reddere, quod tibi quoque contingit Rudbek. Quæ spes, fides que supererit in secretis, quæ anceps imo nulla plane in vulgaribus. Vix credis Rudbek, quantum juvat errori tuo coarguendo operam dare: vel quod injustâ re libereris, vel ab ambitione deterrearis iniqua. His lectis non solum hominum judicio, verum & tuâ conscientiâ erubesces.

Accidit tibi, ut dum nimis anxie scrutaris umbra[illegible] parcius rem ipsam attingas, quod solemus false satis in cane Æsopico ridere. Non erat propositi mei disserere de initiis Medicinæ ejusque incrementis, unde nec eo salutem Græciæ positam esse non existimo, si Ægenitam Arabem dixerim. Si quis Medicinam professus istis scitis ad febrim felicius tollendam, & ad naturæ arcana sectionum beneficio investiganda aptior fiat ex antiquis patriam ejus autoris accuratius inquirendam suaderem. Evenit mihi hic quod tibi Cl. Bartholine in Tractatu tuo de lacteis thoracicis. Cap. 5 Ubi inter Professores regios annumeras eos etiam, qui

qui aut Doctores sunt tantum, aut ne Doctores quidem, sed experientiam sibi continua medendi praxi acquirunt.

IV. *Et inscitè jactare Rudbeckium Chymiæ utilitatem, cui studet.*

Egregiè Rudbek cordatus, & catus es, qui, quæ nondum didicisti, statim sapis. Nondum incœperas Chymiæ studium, ut dicis in epistolâ, tamen ipsius utilitatem tot verbis ex tollis. Ex cujus nam re est, toties coctam crambem offerre? Hanc tot præclari Doctores demonstrarunt, ut tibi bene conveniat: Quid tu

—— argutos inter strepis anser olores?

Quacunque Syntagmata libas, aut secretorum libros quos vocant consulis. id largâ manu exhibent. Sed condonemus tibi, qui struem his exsequiis paras; quid si & rogum?

Quam multi possunt de Chymiæ utilitate disserere, licet ejus operationes adhuc ad oculum perspectas non habeant? præstari etiam certe talia possunt ab iis qui Chymicos scriptores legerunt, & præcepta ejus didicerunt. Ego quoque, antequam in Belgium adveni, non plane Chymiæ rudis eram, licet plurima

deſiderarem, quæ ab operante Magiſtri manu diſcenda eſſent. Perplurimi quoque judicare atque deſcribere poſſunt ea, quæ ſolo auditu ab aliis cognita habent. Quod quoque tibi evenit in Hiſtoria tua Anatomica; quæ cum conſtet farragine quadam rerum variarum ad Anatomiam non pertinentium, perplurima te ex relatione aliorum & lectione autorum acquiſiviſſe inficiari non potes. Idem quoque in aliis ſcientiis evenire animadvertimus; quod propterea ita ſuperciliose damnare non poſſumus. Quotuſquiſque eſt inter Botanicos, qui cum ſe omnes herbas vidiſſe, gloriari non poteſt, interim non audeat ignotas delineare, & uſum earum in Medicina deprædicare? & quis quæſo eſt inter eos, qui in Hiſtoriis animalium recenſendis operam collocarunt, qui omnia oculis luſtravit? plane itaque iniquus Cl. Bartholine, qui mihi objicis, quibus damnari non dicam te, verum etiam viros egregios in aperto eſt.

V. *Aut R. Columbum Valvularum autorem.*

Optime quæris, quis ante Realdum Columbum Valvulas venarum invenerit, cum primum hujus rei inventorem neſcias. Scio Columbum lib. 6. Anat. Pag.

Pag.302. disputare sui seculi more, quâ de causâ possit Chylus per venas mesaraicas ferri ad hepar, & latatur se primum vidisse, & divulgasse hoc inventum, scribit enim: Natura sagax extremæ unicuique harum venarum scil. mesaraicarum membranam apposuit, qualem in vesica cavitate extremis ureteris, quæ lotio ad vesicam descendenti aditum præbent, prohibentque ne ad superiora amplius revertatur. idem in extremitate harum venarum effecit natura. Quod à nemine quod sciam animadversum est, ut magnam naturæ industriam facile perspiceret. *Andreas Laurentius, l. 4. Hist. anat. q. 5. p. 256. & Bartholinus l. 1. de venis c. 3. p. 314. Columbum fucum fecisse testantur, nec à nemine ipsius valvulas fuisse unquam demonstratas, quod tamen ni fallor factum à Doctiss. Harveo, ut demonstraret chylum, non sanguinem ferri per mesaraicas. Nec destituit ratio Laurent. & Bartholinum. Surculis exiguis venas mesaraicas in intestinis dispersas, quis promitteret habere valvulas in extremitate, aut ipsas demonstrari posse. Lynceus hic cæcutiret. Nec orificia extrema adeò sunt lata, ut necessariò requirant carunculas, chylo si refluxerit obstaculum, veluti ureteres. Animum Rudbek prius in diversâ verses, priusquam labori memoriâ digno pretium exsolvas, quo Aquapendentium plurimi judicant dignum. Hic in tractatu de venarum ostiolis scribit:*

 Subit



Subit mirari quomodo ostiola hæc, ad hanc usque ætatem, priscos quam recentiores Anatomicos adeo latuerint, ut non solum nulla prorsus mentio de ipsis facta sit, sed neque aliquis prius hæc viderit quam anno Domini cIↄ Iↄ LXXXIV. quod à me summâ cum lætitiâ inter dissecandum observata fuere. *Salomon Albertus Anatomicus VVittebergensis, in observat. adjunctis Hist. part. human. fatetur, se ipsa ostiola Anno* cIↄ Iↄ LXXIX. *Mense Decembri, secundum Aquapendentis methodum investigasse, & invenisse, demumquè descripsisse, ut d. l. videri potest. Alii ingratitudinis ut Riolanus l. 5. Anth. c. 49. p. 346. Aquapendentem incusant, cum P. Paulus Monachus Servita Venetus, ea invenerit; Aquapendens tantum ediderit, dicti Monachi nomine omisso. Unde alii harum valvularum vestigia etiam apud Hippocratem lib. de ossib. pag. 277. legunt:* Φλὲψ ἐπωμιαίη, τὸ δὲ μεταξὺ αὐτῶν, αὐτή τε ξυνέχει, καὶ ὑμὴν ἀφρώδης: Humeralis vena medium in brachio locum obtinet, & membrana squammosa: *Constat etiam Cananum Vesalium de Valvulis venæ azygi certiorem fecisse Anno* cIↄ Iↄ XLVII. *ex Vesalii examine in observ. Fallop:* Ratisbonæ cum Franciscum Estensem ægrotum cum Canono viserem, is mihi retulit, se in venæ conjuge carentis initio, & item in venarum renes adeuntium, & insectionum

venæ,

venæ, juxta elatiorem sacri ossis sedem occurrentium orificiis membranas ejusmodi, quales in venæ arterialis, & magnæ arteriæ occurrunt principiis observare. Hosque sanguinis refluxui obstare asseruit. *Riolan. l. 5. Ant. c. 46. p. 349. I. Sylvium valvularum venarum inventorum citat (licet nomine ἐπιφύσεως intelligantur) ex Isagoge Anatomica* : Membrana quoque epiphysis, est in ore azygi, vasorumq; aliorum. *Hoc etiam, A. Lusitanus l. 1. cura*t. 52. *annotavit, & ex ipso Hollerius in suam praxin transcripsit, quo tamen risum reliquis Anatomicis movit, uti Bauhino in Theatro. Ut merito hæc consideratio superaret indolem nostri, Hoffmann. Inst. lib. 2. c. 13. §. 3. si ipsis temerè certum autorem, ut tu Rubdek fecisti, nominaverimus, nec alias circumstantias circumspexerimus. Re enim æquo animo excussâ, caret Aquapendentius ignominiâ objectâ. Sit P. Paulus Monachus ipsarum inventor. Credam soli ne ipsas ostendisse Aquapendentio? aut Aquapendentium ausum fuisse rem multis notam scripto sibi vindicare? Primus Aquapendentius valvulas in artubus vidit, descripsit & edidit, idcirco sit ipsarum inventor, reliqui nil profuerunt, qui inter se de valvula azyge litigarunt, quam plurimi tantùm ex relatione cognoverunt.* Longissime accersis materiam disserendi, cum lites de valvularum inventione moves, quas ego neque defendam, neque

evertam. Multi famam habent, alii merentur. Quod & Columbo accidisse verosimile est, & constat ex testimonio multorum, quorum vestigia sum sequutus cur non & de aliis litem moves? & quidem Asellio de inventione lactearum. Harvæo de circulatione sanguinis? nam & in dubio est an non Erasistratus lacteas, Paulus â Sarpa Monachus Circulationem sanguinis invenerit. Sed parum hæc ad rem pertinent, minus certe ad materiam nostram quæ in eo primario consistit: An ductus hepatici, sive vasa lymphatica eo modo in animali dentur, ut. Tu. Cl. Bartholide,eos depingere curasti: an eo: quo ego illos delineavi, & paratus sum cuivis ostendere, quod tu an possis valde dubium tua figura facit.

MEMBRUM IV.

AD CAP. I.

xia. *Inventores semper æmulos habent.*

Consuevit omni seculo injustus possessor sua jura ultra suam memoriam, aut aliorum cognitionem proferre. Unde nulli vitio magis quam huic unquam conduxit tempus. Inspice omnem ævi memoriam, & cujusvis laboris præmium, jurabis hære-

hæreditario jure hanc luem plerosque corripere, & frequentem ipsam esse in Medicinâ. Vt antiquos omnium rerum doctores constituant, & recentiores nil sapere quod non ab antiquis didicerunt, probent Nam & Caspari Aselii Ticinensis venas lacteas ab antiquis notatas contendunt, & ab Erasistrato veluti arterias lacte repletas, in nuper natis hædis visas, quæ in animalibus adultis alterius cujusdam rei plenæ sunt Galen. l. an sanguis in arter. contin. c. 5. Sic Harvæo ne sincera laus maneret, quod æterna sui nominis famâ Circulationem Sanguinis multis persuaserit, Competitor vel Antecessor P. Paulus Sarpa Monachus Servita Venetus objicitur; aut venerandæ Antiquitatis obscura conjectura ex Hippocrate, Aristotele & aliis protrahuntur. Pecqueti Lacteas Thoracicas antevertisse multi gloriantur, quibus tamen ante Pecqueti scriptum nunquam innotuerunt. Si eas Cl. Bartholini more illustrassent, cui non parum debemus in hâc materia, laborem æstimaremus: Cum tamen aliena sua essent dicant, par est, ut mastigiæ audiant.

Vellem paulo clarius ostendisses, unde nata tibi occasio inferendi hunc paragraphum. Ex meo certe non habes. In meo Cap. 1. neque reprehendo, neque noto quenquam. Nihil ibi de Asellio, nihil de Erasistrato, de Harvæo, de Te, nihil denique de horum omnium æmulis, aut qui inventorum gloriam ipsis invi-

 derint,

derint, & sibi vendicaverint. Sed veritus es, Cl. Bartholine autoritatis tuæ & famæ detrimentum, si vel unicum in meis caput a censoria nota immune dimisisses.

Sic Vasa Lymphatica Cl. Bartholinus, præsente D. Petro Bourdelotio eruditione Septentrioni & Gallus noto Anno cIↄ Iↄ c LI. *Mense Decembr. adhuc fortunæ invidia referebat ad Lacteas Aselli lib. Anat. Lact. Thorac. c.* 15. *p.* 50. *Post diligentiori cura* cIↄ Iↄ c LII, *excoluit. ibid. c.* 6. *p.* 21. *& c.* 12. *p.* 38. *Tandem* cIↄ Iↄ c LIII. *Cal. Maji publicè descripta (nomine Vasorum Lymphaticorum) Ioanni Riolani Anatomico Parisiis, & publico commodo consecravit. Quæ tu Rudbek hoc cap.* 1. *observata prodis, ex hac relatione Bartholini tantum accepisti.*

Vide sis quæ antea in generalibus de his satis superque explicavi, & invenies hæc lubrica esse & diluta.

Nunquam innotuisti Bartholino Rudbek, semper tibi Bartholinus cognitus in omnibus sciole. Sic humanum ingenium omni tempore æstuat in gloriam, & quo major sit sui æstimator, parcus alterius, libenter quæ sibi contraria esse experitur fuet; & si modò vulgo persuadeat suam notitiam, (quam hoc scripto furaris Cl. Bartholino) parvi pendet Doctorum memoriam, quæ Bartholino in seros annos superstes erit. Verum illud Acci Tragœdi tibi placet,

Argos

Argos me conferam, nam illic sum nobilis
Ne cui cognoscar noto.

Si consuli tibi optaveris.

Nuspiam cares suspicione fraudis, alibi accuratus es Chronoteta, in dedicatione tamen omittis, quo hæc scripseris, nec addis quando Potentiss. Regina hos ductus monstraveris.

Miror quare alias accuratus non melius epistolam meam ad Ex.D. Hemsterhuis, Amicum meum plurimum honorandum, pervolveris, in qua omnia momenta temporis ita expressi, ut nisi sciens nemo falli possit quo scilicet tempore ostenderim S^mæ^. ac P^mæ^. nostræ Reginæ hos ductus Hepaticos. Deinde ex Cap. 1. idem colligere poteras, ubi hæc verba sunt. Pag. 247. *Hoc ita pro vero habito, cum aliquando, præsentibus,* Magna Europæ virgine CHRISTINA *serenissima atque clementissima nostra Regina illustrissimis atque generosissimis Dominis, amplissimo senatu Academico, studiosorumque corona, lacteas thoracicas publice ostenderem, hos quoque ductus in medium adduxi.* Quando autem lacteas thoracicas ostenderim, Cap. 3. Habes, ubi hæc leguntur Pag. 261. *Hanc postmodum vesiculam chylosam, Anno millesimo sexcentesimò quinquagesimo secundo, mense Aprili, jussu non modò sed & in præsentia* MAJESTATIS, *discursum movente experientissimo Medicorum* Stenio *publico Professore*

ſore medicina, ſectione illuſtravi. Et ne erres, ſcias locis citatis, me non loqui de ſectionibus diverſis, ſed de una, cuique Sereniſſ. Reginam interfuiſſe dixi.

Cum primum tibi in hepate apparuiſſent, ſtatim venas lacteas eſſe, non credidiſti.

Imo credidi. Videantur verba Cap. 1. P. 247. *Dum An.* 1650. *&* 1651. *in venarum lactearum originem, ac inſertionem inquirendam verſabar, injectaque ſemper ſupra venam portæ, cum ductibus choledochis ligatura, non ſemel apparuere ductus, manifeſto inter hepar & ligaturam intumeſcentes, ultra autem evaneſcentes, quos venas eſſe lacteas minime ſum arbitratus.* Non eſt credibile quenquam hic poſſe falli, cujus oculis caligo non eſt offuſa. Conſpicimus enim atque cognoſcimus ſenſu oculorum vaſa illa nunquam (injecta ligatura, quaſi medio ductu hepaticorum, inter hepar & ſaccum lacteum) inter hunc ſaccum & ligaturam ſed inter ligaturam & hepar intumeſcere, non ſupra: quandoquidem aliàs chylus, ſi eum continent ac deferunt, ad hepar pervenire nequiret. Hæc ita mihi ſemper in aperto fuere, ut me dubitare mihi quidem licuerit multo minus in iis errare. Prodis itaque quam nondum ſatis exercitatas in Anatomicis manus habeas; Cl. Quam parum in difficilioribus præſtare poſſis, ac fama magis,

magis, quam manu nitaris. Sane optarem à te ostendi mihi, quæ tibi ostendere ausim. Si publice tecum coram testibus Anatomica manu congredi liceret, vel per autoritatem tuam atque existimationem; qua non tolli viri sapientis est, scias eam mihi esse conscientiam, ut credam posse præstare, quæ tu non audebis.

Antithesis hæc est Bartholini effato quando de Lymphaticis dicit: Se venas lacteas credidisse, esse illa vasa in hepate visa. Antithesis hæc & tua confessioni est, qui cap. 2. b. 3. o. fateris, te frequenti demum sectione edoctum, non fuisse lacteas, quæ non opus fuisset, qui hæc vasa primo impetu vidisti, & cognovisti. Vnde colligo, te vidisse Bartholini opusculum de Lymphaticis, si hujus capitis assertio vera est. Fict.

Non invenies hic repugnantiam aliquam, si animum advertas ad sequentia Cap. 3. P. 252. *In plurimis & ferè omnibus dissectis animalibus, tales ductus hepaticos duos, tres, quatuor, & plures interdum (Tab. 1. rr.) mox ab Hepatis lobo majore, qui venam cavam suscipit, atque eidem ut & reni sinistro adnectitur, egressos atque immediate illam cingentes, quasi in cavam hiarent, reperi, illas venas lacteas esse arbitratus sum. Verum frequenti demum sectione edoctus, & per ligaturam injectam, & humoris in illis contenti motum, manifesto illos vesiculæ chyli insertos eidemque humorem aquosum infundentes*

dentes conspexi. Quæ verba quam in alienum sensum detorseris, figuramque meam Tab. 1. exhibitam non bene examinaveris, censebit quisquis nostra legere & conferre dignabitur. Sermonem enim eo in loco institui, de singularibus quibusdam ductibus, qui venæ portæ non incumbunt ut reliqui, sed ab infimo hepatis lobo orti, venam cavam, cui proxime adjacent, eousque deorsum sequuntur, donec in vesiculam chyli inserantur, qui ductus cum in omnibus non reperiantur, neque in Mesenterio reliquis associentur, expressi eos separatim à cæteris in figura Tab. 1. lit. rrr. Hi sunt illi de quibus ego dubitavi in initio num lacteæ essent, tum quia adeò profunde circa vesiculam latent, tum quia Walæus aliique notarunt, venas lacteas esse, quæ cavæ inseruntur: nam & nostri non absimilem in cavam insitionem præ se ferunt, dum adeò arcte ipsi adhærent, ut vix sine læsione separari possint. Post factam vero in iis, sicut in ceteris ligaturam, luce meridiana clarius apparuit ductus aquosos esse. Falsa itaque est Cl. Bartholini tua conjectura, quæ nemini nisi stadio partium impedito fucum facere potest.

MEM-

MEMBRUM V.

AD CAP. II.

I. *Ineptè hæc vasa ductus dicuntur.*

Satis liquet quod scintillas quas à magno Bartholini lumine habes in ipso portu suffocare studeas, qui multa de mari incongruè loqueris. Forsan quod te in tenebris manifestent, & interdiu parum juvent. Nimis sollicitus de nomine es quod tamen malè pronuntias per ductus hepaticos. Scias nomen tanquam vestem in corpore esse; res autem carnem & nervos, igitur non oportet te majorem vestis curam quam corporis gerere. Astutè hæc vasa ductus hepaticos appellas, ne semper cum Bartholini scripto convenias. Sed parum præsidii tibi ex hac nomenclatura est, quam & nos Bartholino scimus à te esse surreptam, qui hæc vasa expresse c. 5. p. 31. Lymph. ductus aquosos, (rectè omisso hepate, quia non omnes ab ipso proveniunt,) & vasa serosa vocavit, sine discrimine tamen & his, & illis appellationibus dignatur, donec alii commodiora monuerint. An id factum a te aut alio, nemo asserit, quia nec ipse audes.

Nimis liberalis es in toties eadem repetendo. Non me excruciavit unquam, quo nomine appellanda sint hæc inventa, neque laborare

rare nimis in re tam nullius momenti operæ pretium fuit. Placuit ductum hepaticorum appellatio, quam & recte illis, sic suadente re ipsa; impositam esse, monstrant verba Cap. 2. Pag. 249. *Itaque hæc vasa ductuum hepaticorum nomine indigitanda duxi: Et quidem ductuum hepaticorum cum & humorem ferant & ducent, & quod illum ab hepate accipiant, indeque suam originem depromant: deinde aquosorum, quod tali humore ipsorum cavitas infarcta sit.* Et quamvis non suppeteret aliquod argumentum ad defensionem nominis impositi, licebat mihi eodem uti jure quo tu Cap. 5. Vas. Lymphat. Pag. 216. *Nos, nulli nomenclaturæ adstricti, sine discrimine & his & illis appellationibus dignabimur, donec commodiora alii monuerint.* Deinde mea quidem more infrunitorum Criticorum arguis atque oppugnas, rationem interim non adfers, quare ego ineptè isto nomine illos ductus donaverim. Sed esto me hac in re ineptè fecisse; multo tu ineptius, qui te ejusdem erroris inscius arguis & condemnas. Appellas enim hæc vasa Cap. 2. Vas. Lymph. Pag. 196. *Ex hepate aquosos ductus.* Pag. 197. *Similes aquosi ductus plurimi visebantur portam transcendere.* Cap. 3. Pag. 204. *Aquosi ductus comitantur, vel chylo ad hepar protracto succedet serum, quemadmodum per thoracicas lacteas chylus*

setumque ad cor fertur, tumque ab inferioribus inferentur aquosi ductus & in glandulam mediam, ex qua ad hepar; & in Receptaculum, ex quo ad cor. Si sero tumidas venas deprehenderimus, mutanda erit sententia, renunciandum hepati, dicendumque erit, aquam ex hepate ad Receptaculum commeare, lacteasque hactenus ad hepar deferri visas nihil esse præter ductus aquosos. Cap. 5. Pag. 309. *Aquosos ductus sinu suo.* Pag. 211 *Quod aquosi nostri ductus.* Pag. 214. *Aqueos nostros ductus*; Et alibi multoties. Deinde quoque lacteas thoracicas *ductus* nominas Cap. 15. Lact. Thorac. Pag. 99. *Per novos ductus thoracicos.* Pag. 108. *Chylus ad thoracem per novos ductus irruit.* Cap. 16. Pag. 113. *Duplicem ductuum chylosorum insertionem.* Nec in eo satis caute agis, quod non mihi tantum, sed & Viris eruditione præstantibus eundem errorem impingis: Per te enim ab illo immunis non est Cl. D^n. van Horne in ductu suo chylifero, & Virsungus in ductu suo pancreatico, quorum posterior tamen ab humore contento denominati non meretur ex tua sententia.

Si hâc de causâ Ductus hepaticos voces, quod in hepate incipiant, cur non & biliosos, qui à vesica bilis similes descendunt, aut recti Intestini; aut hos omnes ab invicem distinxeris, quod tamen in Iliacis fecisti.

 Nul-

Nullos adhuc ductus vidi originem duxisse à vesicula fellis, sicut hic præsupponis. Id experientia didici, ramulos quosdam ab hepate egredi & supergredi vesiculam fellis, supraque eam conjungi, & mox unum ramum cum reliquis descendentem constituere

Nam si isti a vesicula prodirent procul dubio humorem biliosum continerent & reliquorum ductuum contento dissimilem; jam vero nullam hic reperiri differentiam novit is, qui eos sæpius inquisivit & consideravit. Sic quoque ductus isti, qui quasi *immediate* venæ cavæ adhærent, & oriuntur ab infimo hepatis lobo, non statim dici ductus venæ cavæ possunt, & ab ea orti, quamvis supra eam immediate vehantur.

Nullus veterum aut recentium scriptor, arterias ductus cordis, aut nervos cerebri nominat, quamvis hi in cerebro, illa in corde oriantur. Studio ineptis Budbek cum Bartholinum ducem deseris, cave ne Menalcas Maronis testis sit gravis. Virg. ecclog. 3. v. 18.

Non ego te vidi Damonis pessime caprum
excipere insidiis.

Affatim tua ex Vas Lymphat. c. 5. describis, licet diversis verbis pari tamen sensu, interjectis aliquot paradoxis.

Prima horum inania ac futilia, ideoque indigna

digna refutatione sunt. Sequentibus V. in 1. & 2. membro, satisfecisse me confido.

II. *Substantiâ similia esse lacteis.*

Quoad Substantiam à Venis lacteis non differunt. *Utique: Lacteæ membranam crassiorem habent, hæc vasa tela araneæ subtilem, ut levissimo tactu rumpantur, & effuso humore conspici nequeant, quod aliter se habet in Lacteis vide Bartholinum Cent. 1. Hist. Anat. 11. & Tulpium.*

Appositè & convenienter hæc à te dici nōn putabit, qui respicit ad ea, quæ l. de Lact. thorac. Pag.61. narras. *Mirum observavimus in cane quodam satis magno & sano, septima post pastum horâ aperto, ductus lacteis simillimos, &c.* Ipse hic inquis ductus hepaticos lacteis esse simillimos, proindeque quoad substantiam non differre, quod ego ipso facto tibi, si voles, & coram amicis tuis, quos interesse volueris probabo. Cultro Anatomico enim lacteas thoracicas, & ductus aquosos a corpore separabo, ac transmittam tibi, ut appareat nullam adesse differentiam. Tu quidem primo in subsidium adducis Hist. Anatomicam XI. Cent. 1. sed gratis. Nam nihil ibi præter Historicam narrationem continetur, nulla mentione facta de

ſubſtantia lactearum. Verba tua ſunt Pag. 24. loco citato. *In aperto enim meſenterio viſa illa* ſcilicet lacteæ *hinc inde diſperſa lacteo ſucco, ſed numero pauciores ob cœnam parcam. Cætera indagare religio adſtantium vetuit.* Ad Cl. Tulpii obſervationem, quam adfers haud facile eſt, cum nec verba ejus, nec locum adducis. Inter alia autem miror, quod cum ductus hepaticos quoad ſubſtantiam lacteis ſimiles eſſe neges, eos tamen anni ſpatio fere pro lacteis habueris: præſertim ſi animadvertere diſcrimen potuiſti, quod ſitum eſſe in membrana craſſitie ais: neque meliori experimento dicis, vaſa lymphatica effuſo humore conſpici non poſſe, quæ tamen ego penitus evacuata nihilominus obtuli oculis variorum teſtium; primum in Suecia, & idem hic Lugduni Batavorum; ubi hæc ſcribo. Inter illos mihi vel unum amicum tuum. Cl. van Horne nominaſſe ſufficiet. Nam æque bene hi ductus aquoſi (ſive vaſa Lymphatica) detumefacti ad oculum patent, ac lacteæ meſenteriæ ſuo privatæ chylò.

Lactea carnem membranæ ad natam habent; quæ ſpatia inter fibrillas replet, hæc verò Vaſa nullam. Vnde excepta pia matre non tenuior in corpore pars eſt, nec ſubſtantia ulli æqualis.

Si ſcirem ex aſtrorum poſitura & ordine (quorum vi influere multa, diſponi nonnulla, mutari

mutari quædam Mathematici tradunt)profluxisse hujus aphorismi demonstrationem, emerem ejus artis ludibria, ut istorum siderum, quæ tamen efficaciter influxere, conjunctionem viderem. Ego in trecentis,& quod excedit a me dissectis nunquam carnem lacteis adnatam deprehendi. Neque Cl. Dn. van Horne, ut ex ipso intellexi, nunquam in homine aut animalibus a me diversum animadvertit.

III. *Frigida esse.*

Temperamentum ipsis frigidum & siccum affingis, qui tamen omnia calida in corpore vivente reperis, & nil nisi comparatè frigidum dici potest. Hoc statui ex communi & vulgari Medicorum sententia : ita tamen ut absolute non posuerim sed respective, ut solent medici. Tu ipse in Anatomia reformata libello n. c. 3. de venis lacteis sic loqueris : *qualitatibus primis activis frigidiores vulgatis venis, quia chylus, quem vehunt sanguine frigidior est. Passivis siccæ venis tamen vulgatis humidiores.* Sic & ego respective ductibus hepaticis temperamentum frigidum & siccum attribui cum quo ad substantiam cum lacteis conveniant. Sunt enim ambæ membraneæ. Quoniam vero verba tua necessario erant mihi citanda, subnotare volui compara-

tionem illam frigiditatis lactearum cum venis a Te institutam, non carere incommodo. Nonne sequitur, si venæ lacteæ frigidiores sunt venis, propter chylum sanguine frigidiorem, etiam venas frigidas esse propter sanguinem frigidum? si autem sanguis frigidus, cujus beneficio omnes partes carent, concludi recte potest, nullam partem calidam, sed frigidam esse. Praterea dicis venas lacteas esse siccas, cur non humidas? quia si lacteæ frigidæ sunt propter chylum, cur non & propter eundem humidæ. Verum Cl. Bartholine. Quis sensus nos ducere in notitiam illam temperamentorum potest. Vereor ne nimium hic diligentes simus, & supervacua velut aliud agendum non habentes inculcando negligamus utilia.

Nec conceditur ideò frigidum nominari, quod ex spermate generentur; si hoc frigidius sanguine affirmaveris, cum ex magis spirituosâ portione sanguinis fiat, argentum purius auro esse, facilius persuaseris.

Si animus fuisset defendere, secundum longo usu receptum medicorum docendi sententiam, spermaticas partes frigidas esse non deessent forte verba & rationes. Semen enim cum heterogeneum sit continet in se partem terrestriorem, quæ multo frigidior est portione spirituosa seminis, inde partes respective frigi-

frigidæ formari possunt : porro non sequitur secundum genuinam argumentandi rationem, quia semen ex sanguine, ergo ex solo spiritu sanguinis, & non ex Parte ejusdem terrestriore. Sed hic aliis principiis opus est : quæ cum hujus loci non sint, ulterius hæc non movebo, Aliàs probatu mihi haud esset difficile, nullam animalis solidam partem, carnem puta, ossa, viscera, &c. esse sua natura & per se calida, ne quidem ipsum cor, quod alio tempore, si vitam Deus concesserit demonstrare conabor.

IV. *Neutrius Parentis semen ad generationem veluti materiam facere.*

Experientiam quam tu crepas, nec viri nec fœminæ semen, ad generationem animalium conferre, secundum materiam, *Vecordia tua destruis, sine autore, sine adstipulatore hoc scribis, quo indicas, te, quidquid aliqua specie mentem pepulit, pro certo amplecti.*

Sententiam Harvæi, quam & alii anatomici arripuerunt: non attuli, ut ipsam defenderem, sed loquens ad sensum veterum de Temperamento ductuum hepaticorum & eorundem materia, idcirco illam sententiam adduxi, ut

dissensus veterum ac recentiorum appareret. Vide P.250. Temperamentum *horum quod attinet, cum sint ex membranis constati, frigidum erit & siccum, membranas enim crassioren spermatis partem, in suorum substantiam nactas fuisse, ab omnibus fermè Medicis Anatomicis & Philosophis supponitur: quamvis & illa opinio accuratissimis hoc sedulo Anatomicis displiceat, cum αὐτοψία ipsa nec viri nec fœminæ semen, ad generationem animalium concurrere, secundum materiam pernegent.* Dubito itaque, num tibi hac in quæstione debeam respondere. Aliqua tamen probabilia pr ponam, ne nihil egisse videar, donec confecta experimentali meà de generatione plantarum & animalium historia, propriam sententiam eruditis examinandam offeram.

Notandum igitur primo illud, non vere materiam totius materiali appellari, quod ipsi quoad quantitatem æquale non est. Omnes autem fere Philosophi partes spermaticas ex seminis parte terrestriore formari statuerunt, quo autem modo, prorsus ignoro. Semen enim, quod utero concipitur, ne quidem uni vertebræ constituendæ sufficit. Quin etiam si experientiæ fidendum, ne quidem uteri cavitatem semen intrat. Solus spiritus genitalis se corpori ipsius insinuat, humore postea, ut ego quidem videor luculenter observasse, fo-

ras

tas sensim refluente, vel evaporante. Hoc modo intellexi maris semen materiam corporis vere & proprie non posse appellari. Sed neque fœminarum semen fœtûs materia est. Ipsius enim Galeni confessione, quod fœminæ semen, sive potius analogum semini habent, adeò id aquosum frigidumque est, ut nihil ad fœtûs generationem conferre possit, ut jam non dicam multos esse, qui etiam hoc analogum in fœminis reperiri negant, cum quibus tamen non facile fecerim, Quicquid sit, non alia esse partium materia potest quam sanguis si enim hic materia partium est in fœtu edito, ut esse ostendit magnum subitumque omnium incrementum; cur non item in constitutione fœtûs. Nec illud sanguinis natura impedit. Partes enim obtinet fibrosas & albas, quæ spermaticis; & rubras quæ sanguineis materiam subministrare possunt. Cum vero hic discursus hujus loci non sit, commodiori tempori reservandus videtur.

Harvæus industrius naturæ indagator; In tractatu de Generatione animalium hoc asseverat de cervis. Exerc. 67. & 68. qui nunquam mense Octobr. in uteri cavitate semen aut sanguinem alteriusve rei vestigium invenit, quam circa finem Octobr. mollissimam, qualis cerebri est, substantiam. Quid si Natura fefellit aciem oculorum, quæ ex tenuissimis ini-

 tiis,

tiis, quæ in majora excrescunt miracula, producere consuevit. Non objicio illud quod Columbus scribit lib. 12. Anatom. Quamobrem non possum illos satis admirari, qui cum de hominis in utero matris formatione omnia penè ignorarent, & quæ in brutis imperfectè observabant, ad hominem maximo errore transtulerant. *Et paulo post*: Nonnullos non rem ipsam, sed quod verisimile cuique visum est, scriptum reliquisse.

Locum ex Harvæi exercitatione 68. de generatione animalium expendisse satis, antequam describeres, non videre. Per substantiam enim mollissimam, cerebro similem, & circa finem mensis Octobris in uteri cavitate à se observatam, non intelligit semen aut conceptum, sed superficiem interiorem uteri, ut ex consequentibus & antecedentibus patet, & facile ipse dijudicaveris, si te manus tuæ deducere in notitiam talium possunt; vide quæ sunt exercitatione 69.& præsertim tractatu de conceptione Pag. 406. ubi ista repereris. *Cumque adeo substantia uteri ad concipiendum parati sit cerebri constitutioni persimilis.*

Agnosco & veneror gratâ mente Harvæi laborem, ut tamen omnia è tripode prolatâ, non accipio, quod & ipse suadet Pag. 404. In G. A. septimo die bullæ utero excidunt. Arist. l. 7. H. A. cap. 3. ex Hipp. lib.

lib. de carn, & consuetum hoc queruntur mulieres vitium, cum opem quærunt.

De bullis excidentibus, quæ adfers, incerta sunt omnia, neque enim dicis, quamdiu in utero conceptæ fuerint: neç facile dixeris, cum ne fæminæ quidem ipsæ conceptionis tempus definire certo queant. Proinde nihil inde solidi concluseris, quod eam dubitationem, quid sit illud, quod a fæminis profluit, marisne semen an fæminæ, an colliquamentum Harvæi.

Hybrida ex imparibus parentibus orti veluti ex Nigritâ & Europaâ semen maternam adfuisse monstrant. Uti & illud à Pisone l. 2. c. 17. de Med. Brasil. notatum, quod meritò ingenio Harvai, & Aristotelicorum lites movere potest. In Parnambuco anno CIↃ IↃ C XXXVIII. *ex Æthiopissâ, & Lusitano, gemelli masculi nascebantur, validissimi, alter albâ cute, alter nigra, crispis capillis, & oculis cæsiis.*

Ratio hæc tua nulla est. Quod filius alter patri, matri similis alter. Semen ergo patris in uno matris in altero prærogativam in confirmando si obtinuit: cur non is, qui nigredine cutis, similis erat matri, mox in totum fœmina fuit, cum fœmineum in ipso semen prævaleret. deinde experimenta Tuis valde contraria multa habemus. Causam vero hujus rei, meliorem ostendit nobis Patriarcha Jacobus

ovibus

ovibus congredientibus versicolores bacillos objiciens.

Vis illa utriusque seminis(Harvaeus ex.69.p.315.) in debita materia ad certum usum reservatur. Si hæc ex utero profluxerit, aut quocunque modo perierit, simul & vis illa absque subjecto consistere nequit. Quid postea, hoc facto, membra formabit, aut spiritus fermentationem suscitabit? Non necesse est, ut omne semen maris ad uterum contendat, & cum fœmineo misceatur, potest exigua pars illum orgasmum concitare (quemadmodum venenum aspidis) in toto corpore, ut sufficiat ad motum & actum; quanquam hunc primis diebus sensu, in cervis non deprehendit.

Ex parte hic tibi & mihi convenit. Ex parte non. Verum est spiritum gignificum, quique autor est formati fætus, utero communicari a mare. Verum est, quod utero postea concipitur, & ovum vocatur ab Harvæo, si prolabatur foras, nihil formari. Hoc vero quod prolabitur, semen esse fæmineum ut evincas, opus tibi erit multis experimentis. Quippe observamus in fæminarum testibus sæpe humorem, quem volunt non reperiri, neque testes vel ante vel post congressum aliquam mutationem pati. Verosimilius est conceptum seu ovum illud esse partem sanguinis optimam e corpore uteri in cavitatem pro materia fætus appositam

tam. Cujus pars ſpirituoſo contagio maris fermentata colorem rurſus ſanguinis adipiſcitur: hoc punctum ſaliens eſt. Aliæ deinde particulæ rubeſcunt, & in arterias venaſque formantur, quorum auxilio materia partibus conformandis advehitur.

Ipſe Harvæus hanc naturæ invidiam (ſi licet occulta myſteria ita vocare) luget Exerc. 57. *p.* 257. Multa ineſſe antequam appareant, *Exerc.* 4. *p.* 56. Latent plerumque veluti in altâ nocte, prima naturæ ſtamina; & ſubtilitate ſui non minùs ingenii, quàm oculorum aciem eludunt. *Etſi vidit Exerc.* 56. *p.* 248. *&* 69. *p.* 315. *&* 323. *mulieribus* ſecundo menſe conceptum elapſum, ad ovi columbini molem ſine fœtu, aliquando etiam ad phaſiani, vel gallinacei ovi magnitudinem, atque hoc tempore Embryonem intus longitudine unguis digiti minimi fluctuantem. *Et Riolanus ſimilia annotat animadv. Anat. Laurent. p.* 670. *Parum tamen hæc exempla videntur probare. Vim enim hic illatam fuiſſe fœtui ex abortu patet, quæ ſi fœtum ex utero deturbare potuerit, facile & fœtus operationes ipſas turbavit, aut omnino impedivit, ut debitas tempori lineolas non perfecerit. Quid ſi & Natura conſilio illud ſine fœtu, ovo analogum excreverit, ne indigeſtam molam foveret? Gallina ſubventanea ova parit, quibus aliquid analogum & fœmina poſſunt concipere, ſi*

maris

maris semen fœmineo non sit conforme, aut in aliis debitis qualitatibus deficit. Barthol. Histor. Anat. cent. 1. obs. 4. Inanimatum etiam illud ovo analogum fuit, quia nullius puncti salientis, aut liquoris purpurei meminit Harvæus. Quæso ut potuit vitalium operationum indicium existere, cum vita abfuerit? Quanquam Harvæus ex sanguine omnia constituat, & ille sit princeps omnium partium, Exerc. 51. p. 199. & 201. & Exerc. 52. p. 216. & materia.

Quos hic adducis conceptus abortivos ab Harvæo, Riolano, & Laurentio, notatos, veros fuisse negas, & id quidem non invalide, si ratio sufficit: nam experientia in animalibus habita tecum non loquitur. Cum enim isti conceptus abortivi similes fuerint animalium, pro veris haberi, non falsis debent, quamvis gutta saliente caruerint. Neque enim statim hanc apparere necesse est, vel fœtum formari constat namque experientia, quod utero conceptum est, sat longo tempore saliente puncto carere.

Cur Cor, Hepar & reliqua membra primis diebus non rubeant, sed albescant, cum ex sanguine ortum ducant?

Si concedatur conceptum aliud non esse præter partem sanguinis transcolatam & albam, opus non est ut partes ex illo formatæ rubeant, antequam pars concepti fermentatione spiritus

masculi

masculi in rubrum colorem conversa, illis advehatur. Cæterum cor nunquam apparet album, sed rubrum, si vera est experientia. De hepate dubitatur, quamvis credibilius sit, a principio rubrum esse, cum conformetur ex sanguine exstillante & concreto circa portæ venas.

Præterea si semen in formatione partium non adsit ut materia, nulli etiam morbi hæreditarii erunt; absque semine enim illorum contagium propagari non potest.

Imo potest. Nonne spiritus genitalis uterum fæminarum ingrediens, nec amittens naturam & qualitates suæ originis, potest sanguinem maternum sic disponere, ut morbi patris in factu post tempus se prodant. Nonne etiam matrum morbi per sanguinem fætui communicari possunt? vitiosus enim si fuerunt reddi melior à spiritu maris posse non videtur.

Harvæus quidem nititur per contagium, & vim magneticam hæc naturæ mysteria adumbrare. Cum autem utraque similitudo vim suam non explicet, absque atomorum materialium contactu, in debita (ut ajunt) activitatis sphæra; & conceptio paucis septimanis incerta materia animadvertatur esse facta, aliquo autore opus, qui huic artificio reapse subtilissimas apposuit manus. Ingeniosè laborat Deusingius hic explicare Harvæum, Dissert. de Generat. Foet. in, ut. p. 1. l. 2. §. 63. Sentit enim genituram maris

ris genitalibus fœminarum partibus ritè adspergi, ex utero per circuitum sanguinis in universum corpus rapi; & dispositionem sua natura toti corpori induci. Hac ergo genitura maris facultate corpori fœmineo communicata; cur non in quavis corporis cavitate conceptio fit, uti in stomacho, quod Salmuth semel observavit c. 3. obs. 94 corde & intestino recto, ut in Xiphia Bartholinus Hist. Anat. c. 2. observ. 16 Aut proprione arbitrio semen ad uterum revertitur, exacta fermentatione in toto corpore, ut omissam formationem instituat? Observavi in Harvæi tractatu de Conceptione p. m. 404. hanc vim utero ipsum obferre. Utero quidem præcipuè debetur hoc negotium, citra cujus apparatum, & functionem, conceptum ullum frustra expectaveris. Videtur sane fœmina, post tactum in coitu spermaticum eodem modo affici, nulloque sensibili corporeo agente, prolifica fieri, quo ferrum magnete tactum, hujus statim vi dotatur, atque ferramenta adse allicit *Cum tamen Harvæus sibi non consentiat ipsi, & in prioribus exercitationibus ut c. 10. p* 34. Ovum non ab utero sed interno principio generari *& Exerc.* 13. p. 51. Et pullum ab interno in ovo principio efformari, nihilque ovo ab incubatione accedere præter fotum & tutelam *asserat: Quæ omnia etiam applicat. Exerc.* 79. p. 318. *ad uterum quadrupedium*: Neque enim uterus est fabricator

ac

ac formator fœtus; nec quidem mater ipsa est, magis quàm gallina pulli in ovo cui incubat. Quemadmodum enim pullus, ab interno agente & formante in ovo fabricatur: ita fœtus similiter, ex hoc damarum ovo conficitur. *Verum ut oculorum vigor per hujus mysterii lineamenta duci nequit ut Lucretius l. 1. de R. N. v. 258. cecinit.*

Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;
Accipe præterea, quæ corpora tute necesse est.
Confiteare esse in rebus, nec posse videri.

Quod & ipse Harvæus passim dicit. Ita nec paucis lineolis hoc negotium potes exsequi, cum Natura hæc secreta arcana depingat, & cum mora. Et quanquam ad has latebras perveneris, ipsas rimando & scrutando amittis.

Deusingii quam affers sententiam, nihil ad me. Ipse autor pro se loquetur. Harvæus, quam sibi non contradixerit, qui ipsum intelligunt, atque ex habitis experimentis supplere, quæ sine iis obscuriora videntur.

V. *Benè auctoritate Hippocratis Bartholinum sub pinguedine glandulas descripsisse,*

In quas glandulas Vasa lymphatica ex hepate

 repen-

repentia in transitu sub vena porta divertant, ad mentem Hippocratis Barthol. sub pinguedine diduxit, dudum ex Hippocrate lib. de Gland. didicerat, has semper in uliginosis corporis partibus reperiri. Nam glandularum integra, & absoluta materia sic se habet. Eadem quidem natura spongiosa, raræ siquidem & pingues, & neque carnem habent reliquo corpori similem, neque aliud quippiam corpori simile, sed friabilem & multis venis refertam. Quam si seces sanguis copiosus specie albus, & veluti pituita effunditur, ad tactum vero tanquam lana apparet.

Color qui huic errori anatomico inducitur, facile adulterium quid prodit, neque aliquo pacto excusari potest: siquidem & ipse numerum glandularum adauxeris & recte. Quidem hoc vero tibi si licuit, cur idem mihi vitio vertitur. Deinde secundum Hippocratem, cujus autoritas in præsidium assumitur glandulæ appellari, pinguedo non potest. Ipse enim Hippocrates distinguit, cum dicit, *glandulas carnem corpori similem non habere, neque aliud quidpiam corpori simile.* Quare nec pinguedini. Quin experientia nos docet, differentiam facere inter glandulas & pinguedinem. Distinguit enim glandulas à pinguedine 1. Sensus: qui illas duras, licet pinguedini immersas, reperit, hanc vero mollem. 2. Color: glandulæ enim sub-

rubent;

rubent; pinguedo albet. 3. Consensus Anatomicorum, qui glandulas carnibus annumerant; pinguedini vero peculiarem, & ab illis diversam substantiam attribuunt. Itaque non solum in hisce differt glandula, quæ mihi ductus hepaticos recipit, à tua pinguedine; verum etiam experientia ipsa. Multoties enim illa pars mesenterii, per quam ductus laudati transeunt, in macilentis animalibus omni pinguedine caret, glandula ad oculum subrubra & dura apparente. Glandula denique sub portæ vena à dextris sita est: pinguedo à sinistris; prout figura tua exhibet. Neque rectus dicuntur ductus hi ab hepate supra venam porta versus sinistrum ferri, ut eadem figura vult: cum constet eos, versus dextrum revolutos glandulæ nostræ inseri. Quod non modo Lugduni hîc Batavorum: verum etiam in Suecia variâ demonstratione exhibui. hæc omnia eo spectant; ut ostendam verosimile esse, nunquam te glandulam hanc observasse, ac proinde neque ductus, qui sub ea glandula delitescunt, eique inseruntur, vidisse.

Vide Rudbek nov his adauxisti glandulis vasa inventa, sed quæ exemplo Hippocratis sub pinguedine latebant, quia non opus fuit, tu fusius descripsisti, & falsò.

Cave, ne Anatomicos omnes hæc ratione

 in

in te concias, quorum nulli non maxima laus debetur, cum minutiſſima quæque inveſtigare conantur. Recte equidem Anatomici in cerebro anum, teſtes, vulvam, id genus partium accurate deſcribunt, diſtinguunt, quamvis earum partium uſum hactenus oſtendat nemo. cur capſulas atrabilarias ab aliis glandulis pancreas glanduloſum à carnoſo ſeparant & diſtinguunt, niſi ob evidentem rei, quæ accurate diſcerni amat, naturam. Sed & tu glandulas lacteas ab aliis cur diſtinguis, ſi non ſuadente vario earundem uſu; feci itáque nihil à propoſito & conſilio meo alienum, cum fuſius hanc ductuum hepaticorum glandulam deſcripſi.

Tu fuſius deſcripſiſti & falſo.

Mirum quam hic ſui conſcius animus ſe prodat; vel iſte locus arguit, non Bogdanum eſſe, ſed Bartholinum, qui apologi perſonam hic ſumſit.

Non enim ſemper hæc vaſa in has glandulas inſeruntur, ſed ad latera ſæpius ipſas prætereuut, quod ipſe fateris, & icon exprimit.

Ficti. Vide ſis verba mea Pag. 251. *Vbi aſſero, per plurimos horum ductuum, ſcilicet hepaticorum, ac interdum omnes in glandulam noſtram ingredi.* Deinde & hæc. *Hæc, (ſcilicet glandula) omnes fere ductus hepaticos eodem modo, ut glandula*

(T. I.

(T. 1. aa.) *magna sive pancreas glandulosum in mesenterii medio, venas lacteas ab intestinis recipit atq; ad vesiculam transmittit, se penetrare finit.*

A quo quantum abest, quod mihi affingis? eos nempe ductus sæpius ad latera glandulæ ipsam præterire, Hoc enim ex mea delineatione nunquam probaveris: ductus sunt octo vel novem, qui glandulam ingrediuntur, qui eam profundius latentes non attingunt, duo tantum vel tres. Quid clarius ab ipsa figura peti potest? quomodo autem hic tua cum meis conciliabis? ut jam non dicam malevole contorsisse te verborum meorum sensum.

Nec nova est hæc glandula, quia mesenterium totum hujusmodi scatet.

Pariter non sunt nova lactea thoracica non glandulæ lactearum in homine ad lumbos sitæ, non ductus Virsungianus, non sanguinis circulatio, non lacteæ Asellii; nam & hæc ante nos omnia fuere, licet clare & evidenter non fuerint demonstrata. Singula hac ratione amittent novitatis famam, si ita argumentari volupe est.

Nec veluti glandula mesenterii major esse potest, quia hæc major est, & in hanc omnes lactea desinunt. Fict.

Quis sodes unquam affirmarit, illam glandulam esse majorem pancreate. Contrarium patebit, si denuo inspiciantur verba mea,

Pag. 253. *Hac omnes fere ductus hepaticos eodem modo ut pancreas glandulosum in mesenterii medio venas lacteas ab intestinis recipit, atque ad vesiculam transmittit, se penetrare sinit &c.* In quibus non institue comparationem magnitudinis hujus glandulæ cum pancreate; sed innuo eodem modo glandulam nostram in se ductus hepaticos recipere, quo pancreas glandulosum admittit lacteas.

VI. *Hæc vasa nec adeò crassa ut ureteres esse.*

Malè & hic mangonium exerces, & satis audacter, cum infra numerum quinarium hos ductus hepatis subsistere scribis, quod vix credibile.

Falleris, mi Bartholine, qui mangonium vocas, quod me experientia docuit. Patet hic ut alibi, quam parum videris eorum, quæ circa hanc rem vidisse oportebat, qui alterius observationi audet obloqui idcirco tibi id, quod dixi, de numero ductuum hepaticorum vix credibile videtur, quia non vidisti. Rogo itaq; te in rem ire, & nostræ diligentia nihil concedere, ita autem, se rem, ut dixi, habere testari poterunt, qui sectionibus mense Martio Anno 1653. a me in Suecia habitis interfuere. Quibus tum demonstravi non nisi unum in eo

subjecto

subjecto ductum ab hepate ad vesiculam progredi. Quod & multo ante Anno 1652. mense Majo deprehendi ac delineavi, & in figura Serenissimæ Reginæ & Bourdelotio exhibui. Quam figuram tamen cum aliis observationibus, quas de viscula & lacteis mesenterii ac thoracicis habebam, tractatui meo inserere eo tempore non potui, propter iter, ad quod properabam.

Et quis has quisquilias admiserit, qui brutorum animalium alveos semel inspexit: hos ductus crassitiem ureterum adaquare. Seu intelligas membranæ craßitiem, seu ductus, utroque fallis. Fict.

Si per crassitiem intelligo latitudinem, vix possum hic reprehendi, cum etiam tu sis ejusdem opinions: vide Pag. 206. *Nec possumus exilitati causam obscurioris coloris imputare, siquidem venulæ lacteæ in mesenterio multo sunt minores, aquosa contra juxta hepar craßiores.* An non hic ipsemet per crassitiem intelligis latitudinem. Cæterum falsum est me dixisse, ductum hos crassitiem ureterum adæquare. Verba sunt P. 253. *In felibus, caniculis, vulpibus craßitiem ureterum non excedunt.* Differunt adæquare & non excedere. Illud in genere omnes ductus ejusdem esse magnitudinis cum ureteribus dicit. Hoc vero, eosdem infra quantitatem ureterum subsistere, tacite simul arguens ductuum alios

majores esse, alios minores, ita tamen ut nulli magnitudinem, sive latitudinem ureterum excedant, uti & verbis perspicuis explicui. Paulo ante l. citato. *Et quo pauciores eo plerique majores sunt; quo plures eò minores.* Interim vero aliquibus per occasionem demonstravi ductus, qui superarent latitudinem ureterum.

Sunt potius similes filo araneo, quod levi tactu laceratur, nec gravia sustinet, nisi falsa, quæ tu ingeniosè comminisceris, aut confundis.

Nec istud commentum meum est. Licebit tibi experiri, quam illi ductus non facile rumpantur, & præ aranea soliditatem ac lentitudinem habeant insignem, multoties injectam ipsis duplici modo ligaturam, unguibus rupi, ipsis non simul ruptis. Neque rupturæ metus est, nisi ab imperita & rustica manu. Tuum jam erit videre atque araneæ filum ligare possis, & ligaturam unguibus solvere, sine fili ruptione, cum quibus istos ductus non satis perite confundis.

Hem! A mesenterio membranam habere verosimile judicas, & tamen connexionem negas cum aliquâ parte.
Fict.

Nonne dico Pag. 254. Connexionem cum vena porta, & ductibus choledochis mediante mesenterio possident. Non hic confundenda connexio cum origine & insertione hic vero tuus

tuus error eſt, quod eorundem ab hepate ortum & in veſiculam inſertionem pro connexione habes. Non eodem modo recte ſplenica a portæ vena oriens, & lieni inſerta, dici poteſt cum utraque parte connecti, ut cum pancreate, diligenter inter connexionem, inſertionem, & originem, diſtinguere nos jubet partium uſus.

MEMBRUM VI.

AD CAP. III.

I. *Antiqui Hepar ſanguificare non ſtatuerunt.*

HÆc equidem dixi, ac nihil eo in loco minus mihi propoſitum fuit, quam diſputare, an Hippocrates, aut Ariſtoteles, vel alius quiſpiam veterum, officinam ſanguinis in Hepate ſtatuerit. Antiquorum ſeu veterum appellatione licuit mihi Galenum ejuſque ſectarios intelligere, ceu quorum placita vel imprimis hodie ſequimur. Ariſtotelem quotuſquiſque Medicorum legit, quotuſquiſque Galenicorum intelligit? rarius ille, cui non præjudicii de Ariſtotele ſcabiem affricat Galeni lectio.

Felici perpendebas Rudbek conſilium judicio cum ex Bartholini cap. 7. tuum 3. & 4. caput ſcribe- Fiā.

Fict. *res, & commodè omitteres pag 39. humoris limpitudinem sine coloris tincturâ, sine odore. aqua purissimæ persimilem, qui per tunicæ subtilitatem crystalli instar transparet.*

Non repetam quibus commissum a me furtum esse, satis ante dilui. Continebo me intra materiam. Quod de humoris omissa descriptione mihi objicis, id falsum ostendunt verba Pag. 255. *Vbi qualitates istius humoris descriptas reperies. Hi ductus hepatici, humoris semper pleni sunt, qui in animalibus vivis, vel statim morte exstinctis, colore aqueus conspicitur, sed post unam alteramve horam flavescit.* Iterum ista te indiligentiæ in sectionibus coarguunt. Qui non comprehenderis humorem ductibus hepaticis contentum mutare colorem post paucas horas, fierique ex aquoso albo subluteum in aliquibus, in aliis subrubrum. Quæ omnia ego non tantum vidi, & ex meis observationibus publico communicavi. Verum etiam Doctoribus Leidensibus, etiam tibi notis ad oculum ostendi.

Item laude dignus? ne nil videaris egisse, hepar primus sanguificationis munere spolias, cum dudum ipsius exsequias Cl. Viri: Bartholinus, & post illum Rolfink celebraverint; & nil utriusque opinione defuerit, quam panegyris.

Non arrogo mihi eum honorem, qui viris clarif-

clarissimis jure meritoque debetur, sed quis eum honorem meretur, ego quidem hoc loco non disputabo. Id certum est, Te alieno labore partam gloriam Tibi vendicare, si hepatis exsequias primum Te celebrasse existimes. Quod si inter nos contendi debet, quis primus hepati id munus detraxerit, mihi priores debere probatu haud difficile est. Eodem enim anno & mense destruxi sanguificationem hepatis in disputatione alias nominata, quo Tu eandem acriter in tractatu de lacteis thoraicis adhuc defendebas. Quo jam argumento docebis a Te primum exsequias itum hepati. De Pecqueto nihil dicam, cum uno quasi tempore, ille suam, ego meam sententiam mutaverim. Constat verum sanguificationis organum ante nos cognovisse Cl. Viros D. vander Linden, fautor meus omni observantia colendus, & Corn. ab Hogelande, quorum scripta non dubito Te vidisse, neque ego eorum mentionem facere neglexissem, si in tempore mihi illa pervolvere licuisset. Neutrum quippe vidi, antequam Lugdunum Batavorum appulerim.

Hos tu titulos mecereris, qui veteres ac recentiores Medicos tum Philosophos Hepar sanguificationis organon affirmasse tradis? Inania hac veterum non sapiunt lectionem, quos infeliciter lacessis. In nullo Hippocratis scripto id pronuntiatum est, qui apertè docet,

docet, lib. 4. de morb. p. 500. & 502. Hepar quidquid bilis est trahit, Lien aquam, Cor ſanguinem, Caput pituitam, & lib. de Cord. ſub fin. Ἡ γὰρ μεγάλη ἀρτηρίη βόσκεται τὴν γαστέρα, καὶ τὰ ἔντερα. *Hippocrati conſentit Plato in Timæo, qui concoctionem ſanguinis venis totius corporis adſcribens, nullam differentiam inter venas & arterias agnoſcit. Huic paſſim adſtipulatur Ariſtoteles lib. 3. H. Animal. c. 4. à vena cava docet duos ramos produci, alterum ad omentum, alterum ad pancreas,* ἀπὸ δὲ ταύτης πολλαὶ φλέβες διὰ τοῦ μεσεντερίου τείνουσι. *Hepati munus chylum concoquendi, prius attributum, cum Eraſiſtratus & Herophilus Anatomiam melius excolerent, quo tot lites inter Galeni & Ariſtotelis diſcipulos concitatæ, quas nulla ingenii vis ſuperavit: donec Natura propitia tot contentionum miſerta, fecialem Bartholinum cum Vaſis lymphaticis eligeret. Hepatis muniis ex recentioribus maximi Medici diſcrimina varia intentarunt: quamvis in hepate Aſellius venarum lactearum, per quas omnis chylus ad hepar credebatur ferri, truncum notaviſſet; & N. Highmorus ut inſeruntur figuris æneis deſcripſiſſet. Primum tamen Riolanus ipſarum* ὕπαρξιν *in hepate negavit. Poſt Harvæus venas meſaraicas revocavit. Demum Pecquetus ob Lacteas thoracicas, & Bartholinus additis Lymphaticis, ad hepar ipſis aditum ademerunt. Conſidera Rudbek tuum præcox de antiquitate judicium, ſi Pythagoram citaſſes,*

divi-

divinarem cum ille Euphorbus esset, te Thersitem fuisse.

Jam sæpe notavi; multa mihi per errorem & oblivionem objici, quæ alibi tibimet ipsi adscribere non dubitas diserte enim in Tract. de lact. Thor. Pag. 99. ubi de hepatis actione loqueris: *Sed quantum veritas & natura permiserit, antiqua placita, sine prægnanti ratione, nunquam sunt damnanda.* & Pag. 111. Aristoteles *ipse, cordi addictissimus l. 3. de Part. animal. c. 12. fatetur Epar post Cor omnium viscerum esse* αἱματικώτατον. Pag. 102. de Vas. Lymph. *Divisique cum corde imperium in opere sanguificationis, partim antiquitatis reverentia, partim rationibus quibusdam.* Pag. 148. de dubiis lacteis. *Siquidem antiquum hepati munus sartum tectumque voluit conservare.* Pag. 149. *In hepate certè, in quo solo cum veteribus sanguificationem defendit*: Et quare in Tract. Tuo de dubiis lacteis non moves hanc litem Cl. Riolano, quem Tibi adversarium habes. Vide Pag: 179. *Everti antiquam medicinam quæritur Cl. Riolanus, impugnari artis nostræ antesignanos*, Hippocratem, Aristotelem, Galenum, *aliosque qui hepati benè habenti sanguinis confectionem consignarunt an assignarunt?* Hæc singula quomodocunque explices ostendunt antiquorum appellatione eosdem tibi & mihi venire, atque adeo injuria me damnari.

Pro-

Protervè Anatomicos celebres maculâ notas. Quæ enim Veslingius & Highmorus delinearunt, non nervuli fuere.

Revoca primum Tibi in memoriam, quæ Pag. 132. Tract. de Lact. Thor. scripsisti. *non dubium est sæpius hujusmodi canales visos, sed vel pro nervis habitos, vel venulis inanitis &c.* Hic ipse Cl· Vir celebres Anatomicos maculâ notas, nempe quod lacteas thoracicas antea quidem viderint, sed pro nervis habuerint. simili argumento & ego usus sum, sed paullo fortiori, quod tamen non adduxisti; sed præterieras. Cum illud refutare tibi impossibile erat. P.258. *Quæ autem* Veslingius *in figura fœtus dissecti apposuit, &* Nathanaël Highmorus *elegantissimis delineationibus illustravit, nervulos fuisse existimo, quippe cum illa, nec stylo, nec inflatione, nec ligatura, nec denique motu humoris probaverint.* Absurdum esset excusare hos viros, propterea quod vasa illa existimaverint venas lacteas esse, nam venæ lacteæ nunquam in pancreas carnosum inseruntur: neque interpretatione ductuum hepaticorum molliri eorum sententia potest, quandoquidem nec illi ad pancreas tendunt. Falsum quoque illud est, ductus hepaticos venam portę ambire instar annuli, falsum inquam est, ac nescio unde acceptum. Neque me Cl. Highmorus moratur, qui ita tabulis suis incidi

curavit,

curavit. Multo minus Tu, qui & ubique idem inculcas. Pag. 197. *Simles aquosi ductus plurimi visebantur portam transcendere annuli inst. t.* Pag. 199. *Aquosa hac vasa similem in modum observavimus, hic variis cum porta annulis connexa.* Pag 204. *Vidimusque ductus nostros novos annulatim portam amplexentes.* Pag. 219. *Maxima pars annulari forma venas ambiunt.* Pag. 220. *A cruribus eodem modo permulta adscendunt, socia vena cruralis & Iliaca, quam ambiunt modo arcte modo laxe, circulorum instar, &c.* Rursus Te provoco ad opus, quo si veneris ea dexteritate, quæ nisi industria & diligentia non acquiritur, certus sum alio, præter Te judice opus non fore, ad damnandum Tuum hoc præfestivum judicium. Denique quod semel notari debet, neque Veslingii, neque Highmori, neque Tua Bartholine vasa unquam sic apparent, ut in figuris vestris descripta sunt. Nam si ductus nostros, etiam vos vidistis succo plenos, quare nodos, qui tanto in iis sunt numero valvularum testes non effigiastis. Quod si repletos non vidistis, qua ratione delineastis, cum ut ipse fateris Pag. 218. *Inanita non videntur.*

Quod *nervulos* attinet, per illos nihil aliud intelligebam, quam fibrillas tendinosas & pingues, quæ semper apparent in membranis, præsertim aliquatenus pinguibus.

Tot

Tot nervos non habet hepar, sed fuerunt Lymphatica vasa, quæ Lactea cum Asellio crediderunt.

Nulla mihi hic conciliatur invidia. Nemo enim non ex affectu ista prodiisse videt. Cur quæso hic dicis Veslingium & Highmorum hæc vasa vidisse, cum alibi in tractatu tuo de V. L. Pag. 218. Id neges. *Nostra scilicet Lymphatica, cum liquore in auras videntur evanescere, ut præter venas sanguifluas nihil compareat. Quæ causa est, quod hactenus in cadaveribus observata à nemine fuerint.* Pag. 195. *Hic annus majora prodidit, quæ Anatomicorum, quotquot secula cuncta suspexerunt; hactenus oculos effugeruut.* Rursus si tibi hoc concedam, quod apertè negavi, & adhuc nego, Veslingium, & Highmorum hæc vasa vidisse, nihilominus frustra est tuus conatus de vendicandis Tibi vasis lymphaticis, quia vel Te confitente, illi vasa ista invenerint, quamvis pro lacteis habuerint; sicut & Tu An. 1652. docente id a capite ad calcem, tuo de Lact. Thor. tractatu. Si vero propterea negas, illos viros habendos esse pro primis inventoribus, quia vasa illa pro lacteis habuerint, neque Tu Tibi potes attribuere eorum inventionis laudem, qui etiam ut Tua ipsius verba ubique testantur; tunc temporis, nempe Anno 1652. pro lacteis illa habuisti.

II. Rud-

II. *Rudbek neque lactearum neq; Thoracicarum est autor.*

Tuâ ne operâ Medici se omni anxietate expediverunt Anno cIↄ Iↄ. c L? *Testibus tibi opus, cum vitulos de hâc re testes constituas. Altum silentium hujus ductus lactei, ullone scripto illo anno detexisti? Miris modis ludos facis Doctus, qui serum pro lacteo vendis chylo, & tuas tenebras aliorum lucem esse gloriaris.*

De Vasis Lymphaticis jam antea in generalibus satis probavi contrarium, unde ad ea lectorem remitto. De Thoracicis non moveo litem Cl. Pecqueto; quod & ingenue confessus sum in epistola ad D. Hemsterhuis. Non sum gloriæ ita cupidus, ut pro meis venditare velim, etiam ea, quæ mea esse vix dubito. Hepaticos non solebam *NOSTROS* vocare; & videri velle alios excludere a participatione laudis, quam uno tempore variis locis, varii, & sibi invicem ignoti merere possunt. Non testes, non advocatos sollicitare opus habui, more eorum; qui plus præsidii in aliis quam semet ipsis inveniunt. Quid illi, quos producis testari possunt, supra id, quod Te ductore viderunt? At vero cum certum mihi sit & Tibi, præsenti cum Tuo rubore ausim ostendere; Te, aut

omnino non, aut tum saltem non bene ductus hepaticos vidisse: quid Te juvare astantium tantum non cæcorum testimonia possunt? quantum enim abest a cæco, qui putat se videre, quod non videt? inter testes tuos productus est Doctiss. Dn. Wormius junior, qui tamen rogatus secundum Tuum ductum, vasa hæc ostendere negavit se posse, meamque operam postea sollicitavit.

Interim ingenium sagax miror tuum.

Qua ratione mirari potes ingenium ejus quem non novisti? sed ut honori tuo consulas, suppeditabo tibi notitiæ mei argumentum. Annum ago 22. & jam meo marte sine Doctore (præterquam eo, qui pro suo beneplacito, hominibus distribuere dona solet) perdidici 13. artes, quarum vel una occupare meam ætatem potest. Hæc Deo meo accepta refero, neque nisi in ipsius gloriam dico. Absit enim ut in alio, quam Domino meo glorier.

Qui in vitulo motum cordis omni sanguine evacuato observas; cum præstantissimi Medici & Philosophi, motum cordis propter sanguinis affluxum fieri doceant, & quod primo intuitu in vitulo lacteas Pecqueti, & glandulas observaveris, aut quod anno cIↄ Iↄ c LI. *in fele saturâ, perfectè secundo intuitu omnem difficultatem, tot ligamentis injectis, sustuleris. Unde noveras in hac operatione primâ, ligan-*

ligandas fuisse axillares & jugulares venas, quo citius negotio expedito, videres quomodò per venam cavam, chylus infundatur indextrum cordis ventriculum, & illum de albet, qui tamen perpetuò ruber apparet.

Plane nullum est argumentum; quod hic profers, præstantissimi Anatomici, Medici, & Philosophi non viderunt motum cordis sine impulsu sanguinis: ergo sine illius impulsu non fit. Cur non sic Anatomici omnium sæculorum oculatissimi non viderunt in homine lacteas thoracicas Bartholini: ergo non dantur. Quod ad rem, vidi non semel moveri cor sine sanguinis impulsu. Aliquando exsectum 200. aut 300. præterpropter pulsus edidisse, quos & aliis videndos præbui. Probavi sic fieri posse in disputatione de circulatorio motu sanguinis. Neque tamen hoc ita universale esse affirmo, ut semper & in omnibus subjectis fiat. Neque opus esse arbitror modum sectionis dicere, cum satis vulgaris sit. Invectivæ Tuæ nihil ad me; hæc talia tibi habe.

Parum juvat tecum contendere qui in Chronologiâ, quam texuisti te convincis. Anno cIↄ Iↄ c LI. *tantùm vesicam Chylosam in vitulo subditio, non serosam vidisti.* Fict. *In sele* cIↄ Iↄ c LI. *de eâdem loqueris, nihil de serosis; quamque* cIↄ Iↄ c LII. *Reginæ monstrasti.* Fict.

Pudet jam pigetque inanium istorum. Non sequitur, quia eo in loco (cap. 3.) non feci mentionem vasorum serosorum, propterea mihi tunc incognita fuisse. Loquebar ibi de vasis lacteis, non de ductibus hisce, qui ab illis mihi distinguendi erant. Quod vero & lacteas & ductus hepaticos eodem tempore Sereniss. Reginæ ostenderim, colligi potest ex cap. 2. & 3. & epistolâ ad D. Hemsterhusium. Sereniss. Regina enim nullam sectionem Ubsaliæ, præter unam illam, quam eo tempore institui, viderat, cujus rei testes vel mille produxero. Porro ubinam ego unquam in toto tractatu meo distinxi inter vesiculam chylosam & serosam, quod mihi affingis?

Fict. *Attamen c. 6. in eodem vitulo, & ove serosa vidisti, non chylosa.*

Egregia illatio: satisne præmissa existimavi, ut sic concluderes? duo mihi sub cultro vituli fuere, unus Anno 1651. alter 1652. 8. Febr. in priore ductum chyliferum vidi primum: in posteriore vasa serosa circa æsophagum: hoc reperisti cap. 3. & 6. quid ergo est illud: *in eodem vitulo?* non putasti, credo, eundem vitulum in sequentem annum me servasse, ut in eodem vasa serosa viderem, in quo ante tot menses vidi ductum chyliferum. Dicat quispiam atqne hæc inter se convenire queant, an non

non potius inconstantiam in fingendo arguant?

Cruralia vasa serosa te primum affirmas vidisse cIↄ Iↄ c LII. *ideo in epistola, & passim te ante Bartholinum inventorem gloriaris, qui tn. publicè* cIↄ Iↄ c LII. *de ipsis locutus est in Historia de lacteis thoracicis. Legisti istas Thoracicas Th. Bartholini ut fateris; ibidem tamen ter fieri mentionem vasorum serosorum astutè retices, ut primus videaris esse repertor.*

Argute hic annus judicatur, mensis reticetur. Itane palpum te obtrudere æquis judicibus posse putas? videant illi, quid scripserim Pag. 287. *Anno autem* 1652. 6. *Martij bis eodem die in ore &c.* Qua periodo diserte dixi me cruralia serosa jam tum vidisse. Constat vero, neque negas uspiam, Tractatum tuum de lacteis ejusdem anni mense Majo primum esse editum. Quem & primum in nundinis Holmianis ad festum Michaëlis celebrari solitis apud bibliopolam Hamburgensem reperi. Quomodo ergo ex Tuo Tractatu ea habere potui? nisi forte inversa supputandi ratione secundum Kalendarum ordinem, etiam retrogrados facias. Mirabor, quem huic versutiæ sis inventurus Quintiliane colorem. Quod vero serosa cruralia attinet, certus sum nunquam eâ ratione reperiri, & ausim quovis

pignore certare tecum, in æternum non sic illa te demonstraturum. Pudere te debebat figmentorum. Fides Anatomicorum oculata est, credit, quod videt. Quo ne vero existimes hæc fervore quodam dici, si grave tibi futurum non est, aut indignum splendore nominis tui, congredi cum juvene, & titulis nondum onusto, sistam me tibi, & coram æquis arbitris, rerumque gnaris in arenam descendemus. Tuam figuram quod attinet, videtur ea ad Idæam Platonicam potius ficta, quam descripta ex libro naturæ. Neque enim primo ostendis unde oriantur dextri lateris serosa cruralia. Gravis deinde error est, quod ea venas Iliacas instar annuli cingentia facis. Tertio, quo tendant, ubi inserantur, neglexisti dicere. Quod ad eadem sinistri lateris vasa, vel sola hæc imperitiam tuam arguunt; inde enim à crurali sinistra in emulgentem deducis. Id sicuti absurdissimum est, ita non facile conjecero, quo fine aut animo feceris. Non hæc encheirisis tibi dictavit; quin hæc sola figura luce meridiana clarius facit, nunquam te serosorum insertionem in vesiculam chylosam vidisse tuo Marte.

Fict. *Scimus, te hoc vadum, sine Bartholini tractatu de Thoracicis, transire non potuisse, ut omni laude dignus Bourdelotius, de te, si tu Professor eo tempore fueris,*

fueris, *Anno* cIↄ Iↄ c LII. 18. *Maji. ad amicum scribit.* Dum multa de Bartholino Serenissimæ Reginæ retuli, muneris illud mei fuit, id debebam veritati non amicitiæ, Gaudet Regina habere in vicinia virum, in anatomicis sectionibus insignem. Virtus ejus de quâ mirifica dixit Regina Professoribus Upsaliensibus, fuit encentivum ipsorum animis, qui jam sedulò sectioni animantium incumbunt. Aliquis ex illis eandem observationem de Thoracicis Chyliferes fecit, ignoto Pecqueti nomine, sic enim asserit. *Hic Bourdelotius cujusdam meminit Professoris, non tui, nisi te emeritum Professorem dixero, qui jactas te chylosam Pecqueti vesiculam præsente Serenissimâ Reginâ indicasse. Fumosam si dixeris imaginem te conspexisse lactearum credam, non hujus liquoris candidi receptaculum. Similia Deusing. annotat* [. 3. §. 98. *in Dissertatione de lacte Gronuinga* cIↄ Iↄ c L. *editâ.* Cum aliquando discipuli mei aliquot catellum vivum (marem non fœmellam) secuissent, post largam hæmorrhagiam, extincto jam animali, deprehenderunt ad jugulum ipsius (scilicet ex ipso Thymo) magnam lactis purissimam copiam effluxisse. *Viderat hunc humorem candidus Vir prius forsan ipso Pecqueto, quia tamen fortuitò & fortunæ arbitrio Pecqueto fama concessit; hanc ipsi non invidet, qui aliena non desiderat. Procul hæc*

invida calamitas ipso est, quæ te Rudbek inundat, & si perrexeris, ut cœpisti, suffocabit. Absonâ fide tuam semper vulgasti famam, & chartam: modo hanc vendas, quamvis rem ipsâ involvis alienam. Cave ne corniculam cum in publicum prodiveris agas:

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
furtivis nudata coloris.

Horat. lib. 1. *c.* 3. *v.* 18.

Quibus exornatam cæteris se anteferebat avibus.

Ad transeuddum hoc vadum, nullo mihi opus Duce sint. Erant aquæ ubivis lympidæ. Non sum Cl. Bartholine Doctor ex libro. Quam habeo secandi peritiam, genius meus me docuit. Et facile conjeceris habuisse me, quamvis viginti annorum juvenem mei fiduciam, cum ausus fui periculum facere coram S^ma. Regina, & nobilissima optimatum eruditorum corona. Hoc vero periculum, quia feci mense Aprili, jam toties dicti anni 1652. facile liquet absque te adjutore tentasse negotium. Quanto vero similius est, rumorem hujus sectionis, & per eam inventorum pervenisse ad tuas aures? hinc studium tuum, quod novitatum inventione prurit, fuisse excitum ad aliquid temere conandum, honoremque sumen-

sumendum, quem alius sua industria meruisset Suspicionem auget epistola Cl. Bourdelotii, de rebus à nobis publice ostensis scripta ad Cl. Langelotium Ducis Holsatiæ Archiatrum. E quo te quoque accepisse, quæ in Suecia fuere, quamvis ab ignoto tibi gesta, nulla videtur dubitandi causa subesse. Sectioni de qua jam toties dixi, Cl. Bourdelotius non interfuit. Professor cujus meminit, Cl. Dn. Olaus Stenius est, qui me aperiente canem, & monstrante, quæ ante inveneram, sermone ea explicare dignatur est, & coram Sma. Regina, regnique proceribus non paucis, cum Cl. & Nobilissimis Viris; D. Wullenio, D. Sparmanio, ac D. Bronisio Smæ. Reginæ Medicis excellentissimis, de usu omnium horum inventorum, eorumque officio hepatis, lienis, cordis, aliarum partium contulit. Ego me Professorem nunquam jactavi: neque si essem, hoc titulo superbirem. Ausum tamen cum aliis; & tui similibus congredi. Jam dixi tibi, si libet experiri, sistam me tibi, & forte docebo, quæ ignoras. Hæc mihi modestia mea non ex pressit; sed tua arrogantia, qua satagis persuadere mundo eorum te autorem esse, quæ etiam hactenus perspecta non habes.

Si CIↃ IↃ C L. *anno primus quæ Pecqueti aut Bartholini sunt perlustraveris, cur lustrum in silen-*

tio transegisti? aut tibi immodicâ silentii diuturnitate invidiam auxisti? Qui per aliena adspiras ad gloriam, nunquam celare potuisti hanc Naturæ gratiam, quam grati in te prædicaremus, quod humilis animæ industriæ præmium decernat.

Nisi pruriisset tibi manus ad convitia, non toties supervacua inspersisses. Ostendi dudum causam in epistola Tractatui præfixa. Jam ante monui, non paucos præclaros Viros etiam ante sectionem publicè habitam, monuisse me, ut ederem ea, quæ invenissem. Verum ratus properandum non esse, secundis curis, novisque observationibus superinductis, malum maturum quid & luce dignum proferre. Nihil enim insulsius videtur, quam omnem occasionem in publicum prodeundi arripere, & vel nugis venditandis famam aucupari. A quo quantum tu absis historiarum Anatomicarum centuriæ testantur. Mihi nefas fuit conspurcare chartas, crudis quibusdam & incertis observationibus, quarumque notitia vix una constet experientia. Mos iste eorum est, qui ut alios præveniant, & famam inventorum sibi vendicent, temerario ausu diluta, atque ridicula proponunt. In quos convenit Poëtæ illud:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Hujus farinæ sunt lymphatica, quæ in uno

Jano

Jano vidisse jactitas, videris ne tamen valde & merito dubito. Qui enim in vivo animali ea non, ut oportuit, vidisti, quomodo recte videre potueris in homine mortuo? Quare non facile tibi, nisi veterioribus argumentis, & melioribus demonstrationibus convictus, inventionis laudem cedam.

Ideonè credamus tibi, quod hæc temere fingas?

Pecquetum quando tu primum legeris, mea non interest. Tuarum partium erat probare, eodem tempore a me quoque eum esse lectum, & lectione ejus instructum venisse ad opus, eique debere, quod non debeo. Pecquetum mihi primo utendum dedit mense Junio Anno 1652. Nobiliss. Dn. Sparman Reg. & civitatis Holmensis Medicus, ut viderem, num convenirent ipsius observationes cum meis.

Pari animo fallis, qui mense Septemb. anni cIↃ IↃ c LII. *Lacteas Bartholini vulgas, quæ Majo ejusdem anni in Angliam ad Harvæum & Highmorum perlatæ, Londini impressæ, & in Sueciam Bourdelotio aliis quoque Majo transmissæ, quæ postea Upsalienses Professores commovit, diligentius Sectiones animantium obire, & ipsum tractatum Bartholini de Lacteis, mense Iunio in mercurialibus consuetis examinare.*

Ego Anno 1652. tota æstate una cum Cl. Bourdelotio vixi in aula, simul adhibiti ad publicum

blicum negotium, utrique nostrum a Sereniss. Reginâ impositum, quo tempore nullam mentionem fecit Tractatus tui, ut & nemo alius ante nundinas Holmenses. Nimis hoc scopticum est, quod Ubsalienses Professores commotos scribis ad diligentius sectiones animantium obeundas, tum demum, cum tuum de lacteis scriptis vidissent. Quasi vero non tam doctos Viros Ubsalia habeat ac Hafnia. Illud vero falsum esse ad ravim usque dixi & ostendi argumentis insolubilibus.

III. *Qui usus hepatis ex Bartholino exscripsit.*

Hermotimi anima relicto corpore errare solita, ut quidquid alibi ageretur, è longinquo annunciaret, quæ nisi à præsenti nosci non possent, Plin. lib. 7. cap. 52. Metuam ne idem tibi contigerit transcribenti in hoc caput.

Usum hepatis primarium Pag. 57.

Manifestus error, & ad nauseam repetitus ac refutatus. Impossibile fuit me tua verba ex Tractatu de vasis lymphaticis. Anno 1653. edito, exscripsisse, qui jam ante Anno 1652. 18. Maij in disputatione publica, negaverim hepar esse sanguificationis organum. Vide dedicationem istius disputationis ad Sereniss.

Regi-

Reginam, ubi animadvertes manifestè officium hepatis.

II. *Vsus. A partibus nutritiis sive hepate, sive vesiculâ bilis exundantem humorem aqueum peculiaribus vasis infusum ex cap. 6. pag. 41. Plurimum hujus requirit sanguis, cum fluere, cum reliqua elementa sensus latere debent, aut totum corpus laxare, quo minus morbis succumbat. Facile corpus rarum multos vapores insensibiliter, vel sensibiliter aquam exspirat, teste Hippocrate lib. de Vict. in acut. p. 382. Si portio aliqua supersit, Natura ductus construxit, in quibus ad majores usus reconditur, post in vesiculas chyli infunditur, ut tenuitatem meliorem addat chylo, non fermentet, quia expers aciditatis est.*

Tantundem in hoc est ponderis & rationis. Ostendi hunc usum in sectione publica, toties nominata Anno 1652. tractatus autem tuus de vasis lymphaticis, qui usum hunc describit, lucem demum vidit, anno sequente 1653. quomodo ergo hic plagium committere potui, & tuum suffurari? vereor, ne hoc mendacio tuum reatum tegas.

IV. *Falsò affirmat Hepatis ruborem à sanguine dependere.*

Objicis quod falso affirmaverim hepatis ruborem à sanguine dependere. In hac lite plus est

eſt verborum, quam ſenſus: aut enim ignoras naturam hepatis, aut inani ſtudio multiplicas controverſias: ſtatua ex creta facta nonne albeſcit à creta? quod ſi quis moleſtè curioſus quærat, cur ſtatua albeat? reſpondetur optimè & breviſſimè, quia ex creta eſt. Cur à creta albeat reſpondenti dicere non incumbit, quia hoc non eſt in quæſtione. Tuum erit applicare ad hepar.

Heraclitus ex liquidâ evaportatione, in ſolis circuitu inflammatâ, diem faciebat, Diog. Laert. lib. 9. pag. 365. Sic tu Rudbek vapores quoſcunque affers, ſolem putas eſſe clariſſimum. Quomodo convenit Veſlingio tua expoſitio: Hepar in quibuſdam animalibus album vel flavum eſt, utcunque rubicundus ſanguis occurrat: *addis opportuna* quia flava ac atra bilis ſanguinem copiâ excedit. *Vitulâ dignus es, qui fœtus hepar flavum ob flavæ bilis copiam aſſeris, aut album ob aquam.*

Imo quomodo conveniat mea expoſitio, in poſteriori membro oſtendam.

Videmus in ovo ſanguinem rubrum palpitate, nullam tamen aquam, nullam bilem flavam acies oculorum aſſequitur, & in aliis adultis idem conſpicium eſt, tamdiu, quamdiu per portam acidum fermentum ad hepar nonfertur. Si hoc fermentum cum ſanguine perfuſum, in hepatis effunditur parenchyma, ſtatim

tim ipsi ruborem conciliat. Spiritu vitrioli Syrupis affuso, extemplò illi rubescunt propter salis acidi admistionem. Idem fieri in hepate propter fermen tum lienis. Quare si id deficit natura instituto, vel nondum perfecto liene, facile patet, cur hepar alium colorem sortiatur. Si quoque id à morbo aliquo vitiatur, totius corporis color luridus evadit.

Sanguinis atque viscerum ruborem à lienis aciditate dependere; ac proinde necessarium esse, ut lien primo conformetur absurdum est. unde enim punctum saliens rubet, quod ante lienem existere non audebis negare. Cujus deinde observatione constat, lienem formari ante cor, sanguinem quoque a liene exire, & huic contendere in cor pro tinctura. Melius de his in Anatomia tua Reformata. l. 1 c. 14. Pag. 87. Color *epatis sani rubicundus; si vero omni sanguine destituatur, aut decoquatur, recte cum* Gordonio *dicendum, subcandidam esse, sicut in Embryone, antequam affusio fiat sanguinis.* Et paulo supra. *Epar*, Substantiam *habet rubram & mollem [ut bacillo dequassari possit & separari à vasis intertextis, sive cocta, sive cruda] vasis circumfusam, instar sanguinis concreti, unde* παρέγχυμα *dicitur, id est, affusio, quia affunditur vasis, & spatia inter hac replet.* Pag. 91. Ruborem *autem se. Chylus parenchymati similem, non tam ab hepatis* carne *sola acquirit, qua ipsa sanguini affuso suum debet*

debet colorem. Hic ſatis apertè dicis hepatis ruborem à ſanguine dependere.

Bartholinus Anat. Reform. lib. 1. c. 14. p. 91. ruborem hunc deduxit à luminis naturalis copia, quod veluti peculiare elementum omnibus mistis inditum, tribus libris de Luce animalium eruditè demonſtravit. Conſentiret Platoni Bartholinus, ſi lucem ab igne non diſtreviſſet. Platoni enim in Tymæo rubet ſanguis ab impreſſione ignis, & hepar quoque, propter illius majorem copiam. Cæterum obſtat Platoni, non omnia rubra calere, neque calida rubere, ut in aquâ ferventi deprehenditur. Cum tamen Rudbek non diſputes à quonam rubedo ſanguinis dependeat, ſed hepatis, ſatis quod licuit de his diſſerui.

Requireret hoc peculiarem diſcurſum, quo probare poſſem evidenter, colorem ſanguinis rubicundum nunquam dependere a lumine. Sed quia id non patitur inſtituti mei ratio; ſuperſedebo huic quæſtioni. Interim quid color? quid lux?

V. *Et quod Atrabilis naturæ inſtituto generetur, quæ ſerum eſt, quod atrum ſit à tincturâ purgantis.*

Hepar rudicundum eſſe, quorum ſanguis nec

nec tantâ copia, nec tam flavâ ac atrâ bile consperlus est. *Factum. Rudbek magni beneficii existimas aliquo conatu exsolvere; Ideò humorem fictitium atram bilem masculè defendis ut naturalem, quod viscera tua totum livore infecerit, ut aliorum existimationem facilius maculares. Materia tot Medicorum industriâ, & ut morborum mater fœcunda nota, à nemine tamen in aliquo loco cum commodo visa, aut reperta insanis est. Tu primus (si Diis placuerit) omni sanguini eam admisces, quasi Natura te interprete aut arbitrio, sua opera admistraret. Galenus l. 2. Nat. Fac. c. 9. Distinguit atrum succum ab atrâ bile, quod ille ad commodum natura, hac ut noceat generetur; & Com, 53. aph. 6. abusivè atram bilem concedit Melancholiam vocari. Illius varia symptomata exprimit, 23. aph. 6. 2. aph. 4. & Hippocrates etiam, cum in utero existit, lib. de Morb. p. 666. quamvis illam videatur inter naturales humores resensere, quem tamen librum de nat. Homin. ideò pseudohippocraticum vocat Hoffmannus l. 2. Instit. c. 12. §. 3. & l. 2. Instit. c. 2. §. 5. & nil nisi nomen Hippocratis præfixum habere putant alii. Sunt non pauci qui locum dictum acriter defendunt, quia in omni coctione duplex excrementum docent esse, crassum & tenue. Hoc flavam illud bilem dicunt atram. Quid si crassum excrementum sit bilis flava, & tenue lympha Bartholini? Multa mala qua ab atrâ bile proficisci statuimus,*

F *melius*

melius obstructis lymphis explicantur, cum lividum colorem conspicimus; ad quem ille prona naturâ esse videntur. Iidem quoque docent atrum humorem catharticis medicamentis, iisque certis expurgari. Non egero, quod Natura vitiata sit, illud saltem moneo, non purgari alium humorem à rhabarbaro, alium ab agarico, alium ab epythymo. Sed, fermentato sero eoque à sanguine secreto, vellicare vasa, ut noxium succum expellant. Veluti ventriculus digito vel penna irritatus evomit superfluos humores. Nec colores variis excretis humoribus attribui possunt, sed medicamentis, à quibus illa tinctura proveniunt. Unde myrobolani, pro diversis coloribus, dicuntur diversos humores excire, & rhabarbarum quod flavos humores educit, si sub salis forma exhibeatur, non expurgat flavum, sed serosum duntaxat humorem, quia eandem tincturam non habet, quam habuit integrum; cum tamen maxima vis purgandi in sale consistat. Insuper xialappa diversis temperamentis æquali effectu, & in iisdem individuis in diversis tamen morbis exhibetur. Id non eveniret, si à peculiari qualitate ille humor, vel iste expurgaretur. Vide plura apud Cælium Aurelianum l.1. Oxeon. c. 6. & Rudbek errores, ex quibus te manu subtraxi.

Sufficit mihi pro responsione ad huic §. & defensione meæ propositionis clarius ante mihi dictâ explicasse. Per atram bilem nihil aliud intelligo, quam bilem naturalem, quæ in

in aliquibus, vehemementia caloris secundum Medicorum opinionem aduritur. Multoties enim in vesicula fellis, apparet bilis non flava, interdum æruginosior, interdum atrior est. Non hic intelligo Melancholiam, non capsularum atrabilarium succum, neque bilem ventriculi adustam sed id denoto, quod experientia crebra me docuit. Neque hoc sic accipi velim, ac si bilis hæc quantitate excedat totam sanguinis massam; sæpe enim hepate plus bilis reperire est, quam sanguinis. Hepar cum dico parenchyma potius, quam vasa majora intelligo. Non potest non hæc caro tingi flavo colore, quoties bilis per eam sequestranda versus ductum choledochum, vel quantitate exsuperat, vel qualitate peccat. Eadem mens mihi in expositione verborum Veslingii constat certè parum ex Gummi Gambodia, sive ut vulgo, Gutta Gamba, posse sic satis multum aquæ suo colore inficere parumque bilis urinam tingere. Sic & Hepar à bile quantitate vel qualitate peccante vel alia de causa tingi à ratione, & experientia alienum non est. Sæpe animadverti hepar flavum aut atrum, aut æruginosum; ejusdem coloris humore vesicula distenta, ac nihilominus secto hepate, sanguinem ex vasis fluxisse, non bilem, non obstante, quod totum parenchyma flavo colore

tinctum, bilisque plenum esset, quæ per copiam vel crassitiem aliasve qualitates secundum naturæ leges filtrari & secerni non potuit à massa sanguinis. Ipsemet denique duplicem statuis bilem l. 1. Anat. Reform. c. 15. p. 95. *Profundit enim canalis crassiorem & fæculentam bilem (quam ego atrum appellavi) vesicula vero continet tenuiorem & magis flavam.* Sed tibi serum atra bilis est. Quomodo autem? Bilis enim secundum Medicos naturaliter flava est & calida: serum vero aqueum, & temperamento frigidum: medici quoque atram bilem generari ajunt à flava, â qua serum non provenit, nisi forte tua autoritate putes recte sero dari nomen atræ bilis. Prætereo sciens cætera, quæ in illo paragrapho de purgantibus adducuntur, cum hujus fori non sint.

MEMBRUM VII.

AD CAP. IV.

Fict. *Convincitur Rudbek quod exscripserit caput hoc, ex Bartholini Vasis Lymphaticis.*

Quereris Rudbek hepar variis morbis affligi. Tu *tamen magis duris excruciaris, ut ambitione,* *invi-*

invidiaque nimia. Hæc vitia te non patiuntur sanæ mentis esse, quibus nunquam aliena sors convenit, quàm tu majorem cupis, quo indignior es. Non intelligebas *felicitatem tuam, cum in hoc capite Bartholini nomen, aut Vasa lymphatica præterires silentio. Impudens votum! aperta fraude obscurare famam Clari Viri. Docuit Bartholinus qualem, & qua ratione usum Vasa lymphatica præstent in hydropis generatione, & quantum constat, & te prius docuit, c. 7. p. 49. Vas. Lymph.* Obstructis venis Lymphaticis quando liquor tenuis à partibus non separatur, oritur Anasarca vel Leucophlegmatia, vel quando impedito per hos transitu, ad venas ire cogitur, Ascitidem excitant, vel quando ob tenuitatem tunicæ à copiâ vel liquoris acrimoniâ, vel incumbentibus gravioribus rumpuntur corrumpunturque, in cavitates vicinas, seu abdomen seu thoracem effluit aqua, maximi morbi causa. *Et quos alios morbos in hoc caput ex citato loco transcribis. Quis hoc te Procrustes docuit? Ille quidem prædo insuetæ crudelitatis, obvios insidiis interceptos suo grabbato applicabat, & si proceriores essent, amputatis pedibus decurtabat, si breviore corpusculo, funibus alligatos, intollerabili nervorum tormento extendebat, Plutarch. in Theseo. Hoc facis qui scripta Bartholini miserè torques & laceras.*

Non repeto quæ prius satis, ut confido,

ſunt diſcuſſa, & refutata. Lege totum cap. 4. & confer cum iis quæ cap. 7. pag. 49. adducis.

Quod ad uſum lymphaticorum attinet, præſertim in generatione hydropis, dubitari poteſt, an talis obſtructio, qualem ego vidi & deſcripſi, cap. 4. pag. 271. unquam obſervata ſit a te; nullum enim adfers experimentum. Nec interim ceſſas jactare, me ex tuis totum exſcripſiſſe caput. Qua porta quæſo? nam meorum ne veſtigium quidem in tuis erat.

MEMBRUM VIII.

AD CAP. V.

Fict. *Ex quo Bartholini loco deſcriptum ſit; & Paradoxum Meſenterium omninò eſſe liberum, indicatur.*

ET ne hoc quidem caput ex tuis deſcriptum eſſe, ſatis ſuperque in præcedentibus probavi. Videamus interim quibus argumentis nitare.

Nil hic niſi pridiana & frigida fercula, quæ olim Romæ in peculiari foro vendebantur. Qui te ubique Bartholinus, & hic c. 5. Vaſ. Lymph. p. 32. &c.

12. Tho-

11. Thorac. Lact. p. 37. quoque adjuvat. Non adscribo verba, ne quivis facile tristem ferat sententiam, & dignus sis omni malo, qui tibi videris felix transcriptor, cum propria parum curas.

Rem mihi gratam fecisses, si illa verba adduxisses, quæ argutè satis & de industria prætermittis, ut fucum faceres lectori, eumque incautum in tuam sententiam traheres. Primum exscribam tua, & mox subjungam mea. Tua sunt Pag. 32. edit. primæ Vas. Lymph. *Nos nulli nomenclatura adstricti, sine discrimine & his & illis appellationibus dignabimur, donec commodiora alii monuerint.*

Exortus *Lymphaticorum vasorum est ab extremis partibus seu artubus, & visceribus hepate nempe, ex quo cum ramis portæ prodeunt, vesicula fellis, &c. Qua parte v. ex artubus prodeant, an à venarum extremis, vel musculis, necdum oculus assequi potuit, ob vasorum subtilitatem. Conjectura si quis locus, à partibus nutritis debent emergere, ob usum postea asserendum, quanquam nec à venis capillaribus impossibilis sit exortus. Qui in nervis circulationem admittunt, nullam commodiorem hac viam invenient, quippe subtilissimos spiritus in splendidam aquam resolvi quotidiano in alembicis experimento constat, tumque ex nervorum summis particulis progrederentur.*

Insertio *duplex. Alia inferiorum vasorum, su-*

periorum alia. Distinguimus hac experientiam sequuti. Latè enim disseminantur, & truncum cum artubus suo ambitu involvunt. Vasa aquosa infra septum medium enata inseruntur in Receptaculum chyli seu glandulas novas chyli, quo tanquam in alveum limpidam suam lympham effundunt, ut porrò recto ad Cor tramite per thoracicas lacteas deducatur. Quæ verò supra diaphragma ex artubus trahunt originem, in Iugularem externam sive axillaris concursum ingrediuntur. Vnde truncum nullum habent, sed ex partibus diversis hinc inde veluti rivuli salientesque fontes separatis originibus ad fluvios duos tendunt, glandulam nempe mediam lacteam & axillarem venam, ut in communem cordis oceanum pleno gurgite exundunt. Substantia, *est tenuissima pellicula pellucida, instar telæ araneæ subtilis, ut levissimo vulnere & tactu rumpatur. Hinc est quod effusa limpida aqua statim dispareat, quia applicantur membranulæ illius venis subjectis, ut discerni nequeant etiam à Lynceo. Non memini tenuiorem in corpore partem, si piam in cerebro matrem excipias, quam æmula substantia refert. Sicut per piam meningem transparent cerebri gyri, colorq; levi offensa dilacerari aptam, sic per nostra vasa fragilia liquor contentus cernitur. Hinc aquosarum venarum.*

Color *est hyatidum, crystalli instar resplendens, quamdiu liquore suo repleta sunt. Inanita non videntur. Lactea evacuata fibrillas visu conspicuas re-*

lin-

linquunt, nostra cum liquore in auras videntur evanescere, ut prater venas sanguifluas nihil compareat. Qua causa est, quod hactenus in cadaveribus observata à nemine fuerint.

Figura *vasorum Lymphaticorum interna cava est, venarum aliarum more, externa variat. Maxima pars annulari forma venas ambiunt, hederaque instar amplectuntur, per tenuissima filamenta illis alligata & connexa. Quadam recta prope hepar, & in axillaribus. Exprimunt egregiè fluminum anfractuosos alveos, quibus per apertos campos sinuoso tramite currunt errantque.*

Valvula *tenerrima textura ingressui in axillarem supra praponitur, qua regressura aqua obstat. Eaque sola observari potest. Non dubito quin alibi quoque venis aquosis apponantur valvula, si quidem ne flatum admittunt versus extrema immissum, ob tunica tamen subtilem contextum cultro Anatomico separari non possunt.*

Magnitudinem, *quanquam in subjectis pro animalium diversitate variet, in singulis tamen accuratè demetiri nescias. Pars enim latet, & conspectum fugit. Quas invenimus cognitasque habemus, exiles sunt & angusta, styli mediocris crassitiem admittentes. Vinculo tamen intercepta ingrossantur & impleta distenduntur. Prope hepar crassiores, quia sanguis in illo copiosior. Quod verò magnitudini vasorum deest, supplet*

Numerus, *qui in abdomine iniri vix potest. Iliacum ramum plurima ambiunt. Mesenterium ingredientia augentur. Ex hepate quinque vel septem ut plurimum ramuli in portæ amplexibus exeunt. In anterioribus prope axillarem unicus ferè utrinque ramus conspicitur.*

Situs & Progressus *lymphaticorum vasornm, ut nihil ad perfectum historiæ nostræ ordinem desideres, iste est: In superioribus artubus ad latus venæ brachialis sursum repunt cum vena ipsa cruenta, cui firmiter anneсtuntur, perguntque cum eadem ad axillarem, in quam exiguo osculo patent valvulâ munito. A cruribus eodem modo permulta adscendunt, sociâ venæ cruralis & Iliacæ, quam ambiunt modò arctè modo laxè, circulorum instar, progrediunturque ad mesenterium, ibidemque cum porta ramis in glandulas inseruntur, via oculis haud satis conspicua. Ab hepate quoque & vesicula fellis ejusdem portæ societate per eandem viam decurrunt.* Et in Tract. de Lact. Thor. Pag. 37. edit. primæ *Per cujus medium toto hoc itinere serpebant, paulatim ad sinistram deflectunt, & sursum sub œsophago, aortaque serpunt, & sub arteria subclavia & thymi glandulis, ad claviculam sinistram procedunt. Diversus hic est* Pecquetus, *qui à tertia dorsi spina, in duos ramos diffindi scribit pingitque, quorum sinister ad claviculam sinistram tendat, dexter ad dextram. Sed invento vero pictor aliquid addidisse videtur vel inventoris*

toris

toris conjectura. Enimverò *utrinque diffindi observare non potuimus, sive in brutis sive homine, nisi aliter in Gallia, aliter in Dania ludat natura; Sed semper tantum à tertia vertebra sinistrorsum deflectere, sicut in humana figura exprimi curavimus. Folle in inferioribus indito nullum à dextris vestigium vasis comparuit, nec quidquam huic simile visus potuit explorare. Neque aliter fieri posse existimo, quod in homine diligenter, pluribus etiam oculis investigaturus, deprehendi, quia ad spinæ dorsi ortum juxta jugulum in dextris statim axillaris vena à cava oritur cordis basi vicina, in sinistris vero longior est protensio ut videatur natura huic insertioni commodum locum designasse, Vtrinque quidem ligatum hoc vas per multos dies servatum à se visumque refert Vir profundæ eruditionis* Adrianus Auzotius, *quemadmodum fratri meo* Erasmo Bartholino, *antea laudato, confessus est. Sed fide mea apud magnum Auzotium omnesque exciderim si dextram insertionem in ullo cadavere observaverim. Ludit sæpe natura, & in unico subjecto illi forsan revelavit, quod nobis infinita denegarunt.*

Mea autem sic habent. Cap. 5.

Qui itaque in hæc inquirere volet, canem, felem, vel vulpem sumet (quia in ovibus & vitulis inquisitu difficilimum, propter intestinorum multitudinem) & abdomine aperto, ablatoque vel supra thoracem reflexo omento, ligaturam inter ventriculum & hepar

faciat,

*faciat, in mesenterii parte, hepar ventriculo ac intestinis connectente, (quæ in omnibus fere animalibus omnimodè libera est) & intra se, venam portæ cum ductu cholidocho continente ac ducente; mox videbit à jecore ad ligaturam ductus aquoso humore intumescentes, qui post horam unam vel alteram flavescunt. Liberatis deinde intestinis à loco hepatis infimo, Reni dextro adnexo, & illis ad sinistrum reflexis, separet intestinum colon à lumborum vertebris, & venas lacteas cum vena porta immediate sub pancreate glanduloso, in ea mesenterii parte quæ intestina dorso alligat, currentes liget; postea thoracem aggrediatur, sternoque avulso, ductum chyliferum, prius evacuata vesicula, filo constringat, eodemve modo alteram extremitatem in abdomine ano prospicientem vinciet, ne vasa serosa eo tendentia vesiculam impleant; quamvis interdum ea ligatura non opus sit; solet enim plerumque ille humor serosus in vasis glandularum restagnare. Aliam quoque in mesenterio prope vesiculam chylosam faciet ligaturam, & conspiciet, laxata prima, inter hepar & ventriculum injecta, glandulam illam (*T. I. m.*) delineatam ductus hos recipientem, & illos ipsos, usque ligaturam hanc inferiorem, humore gravatos; postea aperto hoc inferiore ligamine, tota vesicula eodem humore implebitur, & si ligamen, ductum chyliferum constringens, paulo supra vesiculam, in thorace solveris, vesiculam evacuatam, & humorem, venam*

axil-

axillarem ipsumque cor (ligatis prius venis omnibus ad jugulum, dextroque ejus ventriculo dissecto) ingressurum videbis. Postmodum, si vesiculam quoque chylo impletam intueri velis, illud astringenti tibi in thorace ad vesiculam filum, & laxanti, circa pancreas venarum lactearum ligamen, eveniet. Sic, alternatim apertis iterumque contractis ligaturis, humore aquoso & chyloso vesica elevabitur.

Quod verbum ex tuis, aut quam periodum in mea transtuli? discrepant singula non modo in verbis, sed & (quod fraudem arguit) in rebus. Et ubi tu secandi modum illum habes, quem ego ibi docui? quam multa insuper ibidem loci & alibi describo & clare exhibeo, de quibus tu per somnium ne quidem cogitasti. Mirum si non aliquando etiam tibi asseras, glandulam sub porta sitam, in quam ductus hepatici se exonerant. Mirum si non tu primum deprehenderis mutationem aquei humoris, ductibus illis contenti in flavum aut subrubrum, vel ex rubro & flavo mixtum. Mirum si non tuum aliquando inventum sint valvulæ horum ductuum. Quas adeo numerosas deprehendimus in singulis ductibus, ut sæpe milii granum non recipiat spatium intermedium: raro autem majus hoc sit, quam ut admittat gramen hordei. Scio te hoc de longitudine intellecturum, non de amplitudine loci. Mi-

rum

rum denique si non & se tibi debeat Anastomosis, quam inter venas lacteas & ductus hepaticos esse demonstravi. Cur enim hanc non notasti, qui hecatombem impendisti in inquirendis lymphaticis. Sic enim jactas Hist. Anat. XLVIII. Cap. II. Pag. 252. *Propter inventum omni seculo invisum hecatombem, & qui nec dum satis oculis, experientiaque fidebamus alioquin manifestissima, ut perpetuum naturæ institutum videremus, &c.*

Dicis in vitulis hos ductus hepatis esse difficilimum Vict. *inquisitu. At supra ad vitulum primam inventionem retulisti.*

Si intelligis vitulum in quo primum lacteas inveni (ut videtur velli illud *supra*) quo argumento nititur tua consequentia? quia Cap. 5. dixi, difficilimos esse inquisitu ductus hepaticos in vitulis propter intestinorum multitudinem: idcirco sequitur etiam thoracicas inquisitu difficilimas esse! an tu putas intestina locum in thorace habere, ut ventriculum ibi locabant primi Anatomiæ instauratores? si autem per verbum *supra* intellexisti Cap. 6. quod infra est, deque vase seroso in vitulo, circa æsophagum observato agit, præterquam quod & sic male, per eandem chordam oberras. Nam & hoc vas in thorace sedem habet. Deinde an quia ductus hepatici inquisitu sunt difficiles, ideo

ideo etiam reliqua, utpote ſeroſa iliaca recti inteſtini, lumbarum Sterni cordis &c.

Meſenterium verò in omnibus ferè animalibus, omnimodè liberum falsò putas. Fict. *Rudbek nunquam vidiſti meſenterium ſi hæc ſeriò dixeris. Hoc apophyſibus tranſverſis lumbarium vertebrarum firmiter annectitur, (ne inteſtina facile prolabantur vel ἐντερόμφαλον* vel *ὀσχεοκήλιω excitent) per ligamenta, & arcto complexu inteſtinis adhæret adeò, ut diviſionis nota nulla appareat. Præterea venæ innumeræ meſeraicæ dictæ à vena porta deſcendentes, & arteria à cœliaca, & nervi à lumbaribus in meſenterium propagantur; ut nulla pars ſit in toto corpore, quamvis non adjicias lacteas Aſellii, quæ plura vaſa habeat, &c.*

Ubi Anatomicum agere & inquirere debeas in veritatem, tempus ſophiſmatis teris, ut ne mendaciis dicam. Leve enim tibi mentiri. Cur ſupprimis verbum *pars?* dico verbis claris & perſpicuis Pag 274. *Ligaturam inter ventriculum & hepar faciat, in meſenterii parte, hepar ventriculo ac inteſtinis connectente, (quæ in omnibus fere animalibus omnimodè libera eſt) & intra ſe, venam portæ cum ductu cholidocho continente ac ducente; ubi non de toto meſenterio locutus ſum, ſed de parte.* Ejuſdem ponderis eſt & hoc argumentum: pars meſenterii libera eſt, ergo totum meſenterium. Nec crediderim te imputare

tare

tare mihi crassum hunc errorem velle, procul dubio enim vidisti, quæ Pag. 275. scripsi. *Partem mesenterii intestina dorso alligasse — & venas lacteas — in ea mesenterii parte, quæ intestina dorso alligat, currentes liget.* Cæterum quod ad illam mesenterii partem attinet, quam liberam esse dixi, etiamnum profiteor, qua hepar ventriculo & intestinis adnectitur, sic liberam esse, ut digito comprehendere possis, atque per ligaturam constringere. Testes dare possum, quod pluribus id ostenderim.

MEMBRUM IX.

AD CAP. VI.

In quo propriis telis se confodit Rudbek.

VErtumnum Rudbek agis, qui modò felis formam, modò canis refers. Doles (lit. c. 1. o.) te distractum variis negotiis cIↄ Iↄ c L. *non potuisse in sectionem animalium debitam operam conferre, insequenti donec* cIↄ Iↄ c LI. *saturam felem primum secares, quam in hoc capite dicis fuisse* Fict. *canem.*

Ingenium Cl. Bartholine prodis. Ideo vertumnum ago, quia intra annum alio tempore canum, alio felem me dissecuisse profiteor, & in

in utroque invenisse, quod augendæ arti erat? videor tibi insanivisse, qui felem & canem pro uno habuerim. Deinde, quia non nisi unius canis, uniusque felis facio mentionem, idione putas plures me non secuisse? possum tibi in conscientia affirmare, me spatio quasi quatuor annorum præterpropter quadringenta animalia incidisse, nescio qua voluptate me rapiente ad hoc studium. Jam tuum est numerare tua pecora. Perparcus numerus est eorum quæ secuisti, si præter ea, quæ observationes tuæ præ se ferunt alia non secueris. Non credimus vero te tam paucis nixum, tam confidenter prodere in publicum. Sed ut ad mea redeam. Nunquam ex scripto nostro potero convinci habuisse canem pro fele. Legantur verba Cap. 3. Pag. 260. *Anno insequente, scilicet 1651. felis saturi post quintam horam, abdomen aperui, &c.* Cap. 6. Pag. 277. *Anno 1651. 27. Ianuarii, mihi, venas hæmorrhoidales canis inquirenti, &c.*

Majus figmentum innuis: cum Anno CIƆ IƆ C LI. *ductus hepaticos & glandularum inveneris, quod eorum in anatome jussu Serenissimæ Reginæ Christinæ* CIƆ IƆ C LII. *celebrata (lit. c. 2.) non memineris; neque sexto Martii reperta, mense Aprili manifestaveris.* Fict.

Me ductus hepaticos ostendisse Ser. Reginæ sat probat epistola & cap. 1. Tractatus mei

de Ductibus hepaticis. Quod vero ſeroſa glandularum vaſa, quæ jam tum quoque inveneram eadem demonſtratione non repræſentaverim tu ſaltem non mirari debeas. Quam ſæpe enim vel ipſe expertus es uno in ſubjecto omnia ſimul non poſſe demonſtrari? cujus enim manus adeo exercitata eſt, quæ non cogatur aliqua lacerare & præterire, cum ad alia magis deſiderata feſtinat. Accedebat eo tempore, quod in illa demonſtratione agendum mihi erat non pro meo lubitu, ſed Sereniſſ Reginæ meæ juſſu. Ut jam non dicam multa me brevi tempore oſtendere ſuæ Majeſtati debuiſſe. Si unquam tu lymphaticos ductus, qua par eſt diligentiæ rimatus es, didiciſti procul dubio, quanto labore atque patientia hæc res conſtet, & quam non duabus horis abſolvi talis ſectio poſſit.

His omnibus publice tuam prodis fidem, quamvis operosè chronologiam inventionis nectus, quam antea paſſim inculcaſti. Nempè ut Bartholino ægrè facias, quem ſimulas hæc vaſa non vidiſſe. Indicium certum tamen inde conficitur, Bartholini inventum tibi viſum, quem in chronologia negligentem, hac induſtria corrigis, de qua correctione in Epiſtola dicam.

Falſa tamen hæc chronologia, ut ad c. 4. monſtratum, nulloque teſte firmata.

Quid

Quid mihi toties chronologicam computationem oggeris, in qua si quis solæcismum commisit, tu ille es. Quod testimonia attinet, ea quidem magno numera potuissem, si famam atque gloriam captare voluissem, more eorum, qui ut rerum novarum jnventores audiant, nescio quales testes subornant. Non miror te toties provocare ad testes, qui ad conscientiam provocare non ausis. Sunt omnino tibi testes necessarii, ut contra te, semper & ubiq; lymphaticos ductus *TVOS* clamitantem actio mihi interdicatur, quæ in temerè litigantes institui solet. Mihi satis fuit, quia à nemine actionem expectabam, clare & perspicue narrasse, ubi quando, & quo modo, quidque invenissem. Confidebam quippe eruditum lectorem à me non flagitaturum, quod nemo unquam postulavit ab aliis viris, experientissimis & clarissimis, quos primæ & privatim habitæ inquisitioni & inventioni non adhibuisse valde credibile est. Quibus tamen propterea litem nemo moverit, Ubi Asellius lactearum mesenteriarum : ubi Harvæus circulationis sanguinis, ubi Virsungus ductus pancreatici: ubi Van Horne ductus chyliferi, aut Pecquetus lactearum Thoracicarum inventionem testibus probat.

Fateris in fine capitis, te cIↃ IↃ C LIII.

27. Aprilis experientiam adhuc circa hæc vasa fecisse, unde hactenus nihil calamo conceperas.

Dudum ostendi jam mense Aprili me in animo habuisse Tractatum edere de ductibus aquosis. Quæ autem causæ propositum meum protulerint, alibi etiam dixi. Fassus sum, quod dicis me 27. Aprilis 1653. adhuc occupatum fuisse in facienda experientia circa hæc vasa. Quibus uncis hinc extrahes consequentiam, quam infers? quo argumento evinces me eo tempore, quo occupabar, in confirmanda mea experientia de prioribus inventis nihil calamo concepisse?

Antequam autem laboriosum opus, & stilo impolito tortum & coactum scriberes, ederesque temporis aliqua mora intercessit, ad minimum aliquot mensium.

Quanto labore opus meum constiterit, tutè judicare poteris, si credis verum dicenti, fuisse 14. diebus absolutum. Si non credis, dabo testes vel centum. In stilo gloriam non quæro. Videtur autem alicujus malignitatis esse, dictionem carpere ubi res non possis. Anatomicus sum non Orator. Illius est res dare & sine fuco: neque enim oculi se falli patiuntur. Hujus vero, verba dare & capere aures.

At Bartholini Vasa Lymphatica Cal. Maji CIↃ IↃ C LIII. *absolutè in vulgus prodierunt, & Lactea Thoracica anno præcedenti* CIↃ IↃ C LII.

eodem

eodem mense divulgatæ. Hinc jam manifestum Rudbek à Bartholino tua sumere potuisti, vel reapse sumpsisti; Bartholinum vero culpa tali vacare, qui & prior scripserat, & à te ignoto nil potuit mutuare. Vide Rudbek, vilis animi solatium, fictam chronologiam; & vanas observationes, quæ ψευδόμενόν σε λέγουσι.

Parum aut nihil forte discrepabunt tempora quibus nostros utrinque labores perficimus. Sed demus, quo tempore tu tuum tractatum edidisti, me meo manum non admovisse: hinc non sequitur te esse inventorem. Quid si repetam quod dixi jam ante, animum fuisse mihi non prius prodire cum novis meis inventis in publicum, nisi post plenissimam omnium cognitionem: te vero ultra uno experimento non habito protinus abortiisse rudem istam & indigestam molem.

MEMBRUM X.

AD CAP. VII.

I. *Malè hæc Vasa serosa vocat.*

ANtequam ad singularia descendam, lubet paucis præfari, non ita absurdum videri

posse vasorum serosorum appellationem. Primo propter materiam; quæ sero similem in colore & substantia modo vehunt. Deinde propter vocabuli commoditatem. Neque enim insolens est serum appellare, quo cum multo magis quam sero convenit. Existimo quoque non laborandum in appellationibus. Et cui licitum non est nomen rei pro lubitu imponere modo absurdum illud & ridiculum non sit? obvium id in Botanicis est. Annon etiam in Anatomicis? ubi in cerebro sapientiæ domicilio, *nates*, *testes*, *vulvam*, pudenda omnia, & rebus suis minime convenientia, toleramus, Id caput rei est, ipsam rem dilucide, clare & evidenter describere ac demonstrare, ut lectori suppedites occasionem; si ipsi lubeat, eandem rem alio nomine pro suo captu insignire. Hoc judico in omnibus rebus apprimè esse laudandum, & non superciliosè damnandum. Postremo, cur non idem mihi hac in re liceat quod tibi? P. 216. verba tuâ sunt. *Nos, nulli nomenclaturæ adstricti, sine discrimine & his & illis appellationibus dignabimur, donec commodiora alii monuerint.*

Plagas meritus es, qui conscius Naturæ *opus, & audacter vitias; quæque ipsa meliori muneri præfecit vasa, excrementorum torcular somnias esse. Quo jure vasa serosa dicis, quod nunquam continent? Diversum*

versum serum est ab hoc liquore, in quo non eundem colorem, odorem, & saporem offendis.

Forte serum esse illud solum existimas, quod vesica urinaria continetur, quod ego tamen minimè intellexi. Constat enim humores alios in corpore serum & aquam appellari, quamvis alii & sapore & odore careant, alii non. Ipsemet propria sententia damnaris, dum in libro 2. Anat. Reform. Cap. 5. Appellas I. Aquam pericardii humorem serosum, quamvis omnis saporis & odoris expertem. II. *Usus, ut in eo contineatur humor serosus, vel aqueus instar urinæ, non tamen acris aut salsus.* Pag. 122. *Quemadmodum serum sanguinis partim per sudores, partim in pericardium, &c.* 2. Humorem glandularum Pag. 65. Lact. Thorac. *Adhac in lactei liquoris defectu, talis humiditas serosa in illis reperitur, qualis in glandulis conspicitur.* 3. Humorem capsularum atrabiliarium serum vocitas. Pag. 65. *Vel* capsulas atrabilarias *sero melancholico destinatas.* 4. Humorem mammarum Pag. 95. 127. Et sero biloso ex mammariis effluente. 5. Chylum potulentum Pag. 96. *Vel à sero copioso ex potibus.* 6. Humorem testiculorum fœminarum. P. 140. *Ipsi testiculi utrinq; satis magni, virilibus externa ovi rotunditate nihil cedentes copioso sero in visiculis scatebant.* 7. Ipsum hunc humorem vasis serosis & vesicula chyli contentum,

tentum, ut ego, sic tu serum appellas. Pag. 198.
Et ex Receptaculo prodiens lacuna, supra diaphragma, valde tumida, sero hoc distenta, apparebat. Pag. 186. 187. Ecce omnis tibi humor aqueus vel tenuis serum est. Sufficiant igitur hæc ad ostendendum inane rixandi studium, & pro scuto contra plagas, quas minari videre, quibus enim eas sim meritus, non sum mihi conscius. Tu an plagas non mereare, qui plagiariorum nulli secundus es, judicabit aliquando seculum. Neque enim sperare audes, te toti posteritati impositurum.

Hic liquor aquæ purissimæ naturam æmulatur, & quovis judice mutuatur nomen ab ipsâ.

Falsum quoque hoc est. Nam sæpe ad oculum patet hunc humorem stagnare & coagulari. Experti non semel sumus vasculo exceptum instar gelatinæ condensari. Fuisse quoque falsum lingua docuit, non me tantum, sed & D. van Horne Anatomicum non minus diligentem naturæ scrutatorem, quam attentum observatorem. Nihil horum in aqua. Jam tu quoque hoc experire, & obtrude mundo pro tuo.

Acrimonia feri his araneosis tunicis, sine injuriâ, vehi non potest, quæ tenuissima quovis attactu, nec violento, facile rumpuntur, & visui se mox subducunt.

Quem-

Quemadmodum quod in se vesica colligit serum, ipsam non erodit, ita neque hoc quod ductibus serosis inest ullam noxam dat suis vasis. Quid annon atra aut æruginosa bilis vasis contineri sine noxa solet? quæ utraque tamen tantum non lixivium in erodendo præcellit. Argumento sunt dysenteriæ hinc natæ. Nosti aphor. 24. lib. 4. Scis ne chyli cremorem esse falsum, & sine molestia tamen ascendere per lacteas, quæ tunicarum araneositate ductibus serosis non cedunt? inscite vero serosorum tunicas araneosas appellas. Inveniret in hoc epitheto Grammaticus ferula dignum. Nam tunicæ istæ araneorum sunt plenæ, aut ex araneis multis contextæ? hoc meum non facio. Nego eam esse his tunicis tenuitatem, quæ possit ulla licentia comparari cum araneis seu telis araneorum. Patiuntur enim se commode separari à partibus, quibus adhærent, quibusve innexæ delitescunt. Tua manus id an possit, dubito. Forte tuus Lyserus exercitatiores in his manus habet. Quid enim sine eo potes? mirum vero te aliena manu inventa, pro tuis crepitare. Patiuntur præterea ligaturam, & se in tumorem insignem inflari. Novisti quo genere follis id faciat? quid dabis mihi, si te docuero, hoc instrumentum parare? vide interim an visui se subducant, quæ industriæ bene-

 ficio

ficio adeo illi patent. Quin & priusquam inflentur profuso, quem continent, humore, stilum admittunt, & alte satis, & sine ruptionis periculo, nisi manus festinet, aut quod crassius est impellat, vel acie perforet. Sequentia ad nostram rem non spectant.

Sapiens Magistra Natura seri ductibus (ureteribus) crassiorem tunicam, fibrosam, eamque duplicem, colorem candidum, sed non transparentem, magnitudinem conspicuam post plures dies, iisque evacuato omni sero dedit, & majus robur; quare vehementer in calculo distenduntur. Vreteres rarò natura consilio serum continent, nisi impeditis viis. Hæc vasa semper liquorem vehunt, cujus beneficio spectari possunt. Si igitur *(ut rectè disputat Bart. Vas. Lymph. c. 5. p. 31.)* cavitatem oblongam spectemus, liquori continendo aptam, & vasis appellationem latam, & venæ pressiorem merentur. A contenti liquoris conditione, seu limpidâ aquâ & lymphâ, dicenda vasa, seu lymphatica, seu aquosa, prout cuique libido fuerit. *Proinde mulsum frigidum hic propinas Rudbek, unde forsan obtusa memoria, & judicium tuum. Non meministi quod ductus hepatis aquam contineant, & hæc vasa ipsis similia sint, ut ovum ovo non magis possit; & quod non differant invicem colore substantiâ, & insertione, nisi origine & situ, ut non videatur veritati congruum: In his*

vasis

vasis glandularum serum, in ductibus hepatis aquam contineri.

Memini probe & aquam esse in ductibus hepaticis, & hos similes serosis. Tu vero nondum oblitus es, quod hactenus nescivisti; humorem in ductibus hepaticis immutari quam sæpissimè, in vasis autem serosis nunquam. Neque illud prætermissum â me fuit. Tract. Pag. 255. *Hi ductus hepatici, humoris semper pleni sunt, qui in animalibus vivis, vel statim morte exstinctis, colore aqueus conspicitur, sed post unam alteramve horam flavescit.* Observat. XV. *In fele jam dudum morte extincto, ductus hepatici, vesicula chyli, vena lactea thoracica ac meseraica humore citrino intumescebant.* Itaque cum ductibus hepaticis & vasis serosis contenti humores, interdum colore dissimiles; interdum similes sint: idcirco hepaticorum succum, aquam, serosorum vero, serum nominavi. Donec ulterior experientia aliud doceat moneatque. Etiam in sapore discrimen bis terve observavi. Quoties autem hepaticorum humorem flavum reperi, gustus biliosum saporem deprehendit. Hæc si æque tibi ac comperta fuissent non adeo temere sivisses tibi excidere, quod satis erat detegendę nuditati tuæ: non, inquam, dixisses *hæc vasa ductibus hepaticis usque adeo similia esse, ut ovum ovo non magis possit.* Scias vero

dissi-

dissimilitudinem, de qua litigamus, in humore, non tunicis vasorum esse: neque enim chylosi, serosi, hepatici differunt substantiæ modo.

Si diffidis, utraque lympham gusta, nil palatum inficit nitroso sapore.

Auscultavi tibi, & bis periculum fecimus Cl. D. van Horne & ego, nisi vero nos lingua fefellit, pro certo affirmare audemus non parum salsi in seroso humore nos gustasse. Tu qui lympham hanc nihil palatum nitroso inficere sapere asseris, videre experimentum non fecisse; sed suadente ratione æquè insipiditate ac lympiditate similem vulgari æque judicasse. Experimentum vero te non fecisse, persuadet mihi opinio, quam de inseparabilitate & fragilitate ipsorum ductuum habes.

II. *Et glandularum.*

In tractatu ipso rationem adposui, quæ me vasa glandularum serosa appellare jussit. repeto: *Vasa dixi, quod conformationem, figuram, usum, eadem omnia habeant cum cæteris, Glandularum vero: quod maxima pars eorum glandulis originem debeant.*

Autopsia didicimus hæc vasa ultra glandulas in iliacis ad artus porrigi, quod in cercophyteco 18. *Ia*ꞇ*l*ↄ *I*ↄ *c* LIV. *dissecto vidimus.*

Idem

Idem & ego non solum in patria verum etiam hic Lugduni Batavorum aliquoties Doctissimis viris. D. Doctori Hemsterhuis, D. P. Pierio ac Fursmanno Medicinæ candidatis, aliisque ostendi neque ego dissimulavi hoc in Tract. Meo Pag. 284. *Vsus itaque sive actio horum scilicet vasorum erit, humorem è partibus corporis & glandulis.* Pag. 285. *Cum vero istis vasis plerumque apposita sint glandulæ, quas ramulis suis tegunt atq; penetrant. Ad idem consentiunt figuræ.* Tab. 2. Fig. 1. rr. G. O. manifeste enim illic ultra glandulas vasa serosa feruntur.

Tu ipse nullas glandulas, illis vasis quæ sub intestino recto sunt adscribis, aut quæ ex musculis abdominis ipsum abdomen perrepunt, quæ tamen fibrillæ sunt certissimæ;

Recte quidem, cum dicis, me nullas glandulas illis vasis, quæ sub intestino recto sunt, adscribere. Jam supra hoc ipsum monui. Quæ vero ex musculis abdominis ipsum abdomen perrepunt, fibrillas esse certissimas, dici non potest. nisi à rerum penitus ignaro, quique ea manu nunquam tractavit. Ego vero testibus sæpe jam laudatis sæpiusque laudandis, conspiciendos variis vicibus exhibui.

Aut quæ ad artuum venas deprehenduntur quæ nec vidisti, nec descripsisti. 21. *Ian.* CIↃ IↃ C LIV.

Debeo tibi gratiam, quod manuduxeris me ad

ad inquisitionem eorum serosorum, quæ in artubus deprehenduntur. Debebis aliquando mihi eorundem insertionem in glandulas, & transitum per illas ad axillarem venam aut ductum chyliferum ei proximum. Jam enim hæc ostendimus præter eos quos modo laudabam, etiam Cl. van Horne:

Vas lymphaticum, ab hepate descendentem cavam ad iliacos ramos concomitans, in cane vidimus, sed nullam glandulam. Tibinè nugivende majorem fidem poscas porro, quam negas nobis quoque oculis quam maximè intentis, & acutis.

Nondum Cl. Bartholine Tract: de lymphaticis, neque in figuris tuis exacte delineasti Iliaca serosa: quod argumento est: & mihi quidem: qui novi quanto hæc labore constent in dubio Lyseri tui inventa paucissimis uti sectionibus. Quæ si toties tam maxime intentis & acutis oculis, peractæ fuissent, nunquam se tibi subducere potuissent. Nobis nihil solenniùs est, quam glandulas Iliacas vasis suis serosis instructas oculis exhibere.

Glandulæ non possunt esse proprium vasorum, quia non omnibus communes sunt.

Non dixi uspiam glandulas serosis vasis esse proprias, seu omnes à glandulis oriri: Vid. Pag. 280. Secundo glandularum quod plerique scilicet illorum vasorum, inde sciam trahant origi-

originem. Pag. 285. Cum vero iſtis vaſis plerumquæ adpoſitæ ſunt glandulæ. Verum cum à potiori ſoleat fieri denominatio ſecutus ſum conſuetudinem.

III. *Reliqua quæ ex Bartholino ſuffuratus eſt, bona ſunt.*

Quidquid in hoc capite lymphæ ſupereſt, illam traduxiſti ex capite V. Bartholini. Si tamen quidquam à ſalivâ accepit, num tibi adſcribendum totum negotium? Non credo, niſi Rudbek Philoxeno famoſiſſimo helvoni te ſimilem prædicas, qui nidore fumi tactus alienas ædes ingrediebatur, & adſperſis obſonio levibus condimentis, quorum uſum apprimè callebat, totam deinde patinam ſibi vindicabat. Quamvis tu eandem artem parum feliciter adhuc tractaveris, illâ tamen vehementer te oblectari, deduxi. Fict.

Quam egregium mendacium committis, ex 1. & 2. membro aliiſque locis patet. Deinde apponam & Tuum caput 5. & meum. 7. ut omnibus perſpicuum fiat hoc mendacium.

NB.

DE

DE VASIS GLANDULORUM SEROSIS.

CAP. VII.

De nomine, substantia, origine, &c. Horum vasorum.

HOs canales *vasa glandularum* serosa nominandos existimavi. Primo, *vasa*, quod in conformatione, figura, & usu cum reliquis meatuum generibus, conveniant: Secundo, *glandularum*; quod plerique illorum inde suam trahant originem. Tertio, *Serosa*; propter succum quo abundant.

De illorum *Substantia*, *Temperie*, *Quantitate*, *Figura*, *Communione*, nihil singulare occurrit. Sunt enim ex membranis conflata, intus infinitas habentia valvulas, exterius nodosa, &c. quibus omnibus ductuum hepaticorum naturam repræsentant.

Originem & situm simul considerare visum fuit, cum hi canales in diversas corporis partes sese quasi insi-

DE VASIS LYMPHATICIS,

CAP. V.

Methodica Vasorum Lymphaticorum descriptio.

QUo *nomine* signanda sint vasa nuper à nobis detecta, non facile ipse dixero. Fruere qui *serosa vasa* indideint, quod serum contineant. Non potui acquiescere huic nomenclaturæ. Serum enim, ut infra patebit, ab aqua hac limpida diversum est, & serum alia sibi in corpore receptacula elegit, supra signata. Ureteres, fero ex renibus ad vesicam deferendo destinati, ab his prorsus differunt, substantia, colore, contentis, & distributione. Ureterum enim tunicæ crassiores, color candidus quidem sed non transparens, contentum serum nunquam in ductu sistitur, denique distributio varia, sive terminum à quo, renes, sive ad quem, vesicam, consideres. Si igitur cavitatem oblongam spectemus liquori continendo aptam, & *vasis* appellationem latam & *venæ* pressiorem merentur. A contenti liquoris conditione, seu limpida aqua & lympha, dicenda vasa seu *lymphatica* seu *aquosa*, prout cuique libido fuerit. Si denique externum splendorem illustrem, hyatidibus æmulam contempleris, nescio quid causæ subsit, cur non *vasa Christallina* condigno meri-

nuent,

nuent. Quæ enim ad jugulum inveniuntur, ramulos sub sterno inter pinguedinem (*vid. Tab.* 2. *fig.* 1. *ad G. & o.*) & venas, mediastino suffultas, spargunt, ubi glandulam unam vel alteram, (*Tab.* 2. *fig.* 1. *O.*) circa sterni principium ingressi conjunguntur, & unum (aliquando duos) constituunt tubulum, (*Tab.* 2. *fig* 1. *pp.*) qui venæ axillari supravectus, ductus chyliferi conjunctione circa finem gaudet. Hic porro tubulus aliquando visus est, alium substantia similem, à costis dextris (*Tab*, 2. *F.* 1. *q.*) venæ axillari dextræ incumbentem admisisse.

Illi autem serosi ductus, qui cordis latus sinistrum occupant, rivulos pericardio (*T.* 2. *F.* 1. *r.*), ejusque pinguedini, & mediastino committunt (*T.* 2. *F.* 1. *A. B. r.*) inde glandularum parvularum auxilio uniti, arteriam aortam trajicientes (*T.* 1. *F.* 1. *f.*) ramulô ductui chylifero inhiant.

Alii verò, qui multa ramulorum copia, inter musculos tis titulo nominentur. Nos, nulli nomenclaturæ adstricti, sine discrimine & his & illis appellationibus dignabimur, donec commodiora alii monuerint.

Exortus Lymphaticorum vasorum est ab extremis partibus seu artubus, & visceribus, hepate nempe, ex quo cum ramis portæ prodeunt. vesicula fellis, &c. Qua parte v. ex artubus prodeant, an à venarum extremis, vel musculis, necdum oculus assequi potuit, ob vasorum subtilitatem. Conjecturæ si quis locus, à partibus nutritis debent emergere, ob usum postea asserendum; quanquam nec à venis capillaribus impossibilis sit exortus. Qui in nervis circulationem admittunt, nullam commodiorem hac viam invenient, quippe subtilissimos spiritus in splendidam aquam resolvi quotidiano in alembicis experimento constat, tumque ex nervorum summis particulis progrederentur.

Insertio duplex. Alia inferiorum vasorum, superiorum alia. Distinguimus hæc experientiam sequuti. Latè enim disseminantur, & truncum cum artubus suo ambitu involvunt. Vasa aquosa infra septum medium enata inferuntur in Receptaculum chyli seu glandulas novas chyli, quo tanquam in alveum limpidam suam limpham effundunt, ut porro recto ad Cor tramite per thoracicas lacteas deducatur. Quæ vero supra diaphragma ex

culos transversos & obliquos abdominis, propullulant (*T. 2. F. 1. hhhh.*) plerumque sine glandula visi, duorum fere digitorum transversorum spatio, à vena cava, uniuntur, & lumbarium vasorum consortio gaudentes, vesiculam chylosam ingrediuntur. Situm obtinent inter peritonæi tunicas, quantum quidem mihi inspicere concessum.

Qui deinde tubuli, sero pleni, venas crurales (*T. 2. F. 1. gg.*) comitantes vesiculam chylosam sub vena cava, osculis excipiunt, glandularum duarum (*T. 2. fig. 1. fff.*) vel trium substantiam, inguina occupantium, tam extra, quam intra amplexantur. Horum ductuum magnitudinem reliquorum antecessisse in omnium animalium anatome comperi.

Denique vasa serosa deorsum sub intestino (*T. 2. F. 1. eeee.*) colon progredientia, oriri videntur inter os sacrum & intestinum rectum ramulis aliquibus inter pinguedinem sparsis, qui paulo infra divaricationem venæ artubus trahunt originem, in Jugularem externam sive axillaris concursum ingrediuntur. Unde truncum nullum habent, sed ex partibus diversis hinc inde veluti rivuli salientesque fontes separatis originibus ad fluvios duos tendunt, glandulam nempe mediam lacteam & axillarem venam, ut in communem cordis oceanum pleno gurgite exundent.

Substantia, est tenuissima pellicula pellucida, instar telæ araneæ subtilis, ut levissimo vulnere & tactu rumpatur. Hinc est quod effusa limpida aqua statim dispareat, quia applicantur membranulæ illius venis subjectis, ut discerni nequeant, etiam à *Lynceo*. Non memini tenuiorem in corpore partem, si piam in cerebro matrem excipias, quam æmula substantia refert. Sicut per piam meningem transparent cerebri gyri, colorque levi offensa dilacerari aptam, sic per nostra vasa fragilia liquor contentus cernitur. Hinc aquosarum venarum.

Color est hyaridum, crystalli instar resplendens, quam diu liquore suo repletæ sunt. Inanitæ non videntur. Lacteæ evacuatæ fibrillas visu conspicuas relinquunt, nostræ cum liquore in auras videntur evanescere, ut præter venas sanguifluas nihil compareat. Quæ causa est, quod hactenus in cadaveribus observatæ à nemine fuerint.

Figura vasorum Lymphatico-

cavæ

cavæ in crurales, juncti, supra illarum superficiem procedunt, atque tandem cum reliquis serosis vasis vesiculam adoriuntur.

Illud autem serosum vas, quod in vitulis & ovibus sub œsophago conspicitur, delineare non curavi, cum ægrè reliquis inseri potuit; descriptionem tamen ejus non omittendam putavi. Oritur multis radicibus, à glandula quadam magna, & oblonga, quam natura œsophagi lateribus propè diaphragma apposuit, inde sursum recta fertur & sese osculis ductui chylifero conjungit.

Delineationem postea ab *Authore* impetravimus, ut videre est in secundæ Tabulæ figura quinta.

Numero, nunc plura, nunc pauciora, modo minora, modo majora apparent.

Colorem, sortita sunt aqueum, quem à succo, per illorum substantiam transparente, mutuarunt.

Notandum probe venit, omnia hæc vasa serosa diversimode se habere, non solum in variis animalibus, verum interna cava est, venarum aliarum more, externa variat. Maxima pars annulari forma venas ambiunt, hederæque instar amplectuntur, per tenuissima filamenta illis alligata & connexa. Quædam recta prope hepar, & in axillaribus. Exprimunt egregiè fluminum anfractuosos alveos, quibus per apertos campos sinuoso tramite currunt errantq;.

Valvula tenerrimæ texturæ ingressui in axillarem supra præponitur, quæ regressuræ aquæ obstat. Eaque sola observari potest. Non dubito quin alibi quoque venis aquosis apponantur valvulæ, si quidem nè flatum admittunt versus extrema immissum; ob tunicæ tamen subtilem contextum cultro Anatomico separari non possunt.

Magnitudinem, quanquam in subjectis pro animalium diversitate variet in singulis tamen accuratè demetiri nescias. Pars enim latet, & conspectum fugit. Quas invenimus cognitasque habemus, exiles sunt & angustę, styli mediocris crassitiem admittentes. Vinculo tamen interceptæ ingrossantur & impletæ distenduntur. Propè hepar crassiores, quia sanguis in illo copiosior. Quod vero magnitudini vasorum deest, supplet

Numerus, qui in abdomine iniri vix potest. Iliacum ramum plurima ambiunt Mesenterium ingredientia augentur. Ex hepate quinque vel septem ut plurium

rum etiam in ejusdem speciei diversis individuis; sic naturam, & in hisce, atque in venis, arteriis, nervis, & lacteis ludere videmus.

mum ramuli in portæ amplexibus exeunt, In anterioribus prope axillarem unicus fere utrinque ramus conspicitur.

Situs & *Progressus* lymphaticorum vasorum, ut nihil ad perfectam historiæ nostræ ordinem desideres, iste est: In superioribus artubus ad latus venæ brachialis sursum repunt cum vena ipsa cruenta, cui firmiter annectuntur, perguntque cum eadem ad axillarem, in quam exiguo osculo patent valvulâ munito. A cruribus eodem modo permulta adscendunt, socia venæ cruralis & Iliacæ, quam ambiunt modo arcte modo laxe, circulorum instar; progrediunturque ad mesenterium, ibidemque cum portæ ramis in glandulas inseruntur, via oculis haud satis conspicua. Ab hepate quoq; & vesicula fellis ejusdem portæ societate per eandem viam decurrunt.

MEM-

MEMBRUM XI.

AD CAP. VIII.

Paradoxum I. est; serum hæc vasa vehere.

NE ignoret, quis paucis exponendum putavi, quid illud sit, quod hic in controversiam cadit, ubi de vasis serosis mentio facienda erat, nolui prętcrire glandularum usum, ut humoris ipsis contenti naturam, cum vero ea, quæ à sensibus nostris remotiora sunt, satiùs sit sub specie probabilitatis proponere, quam temerè affirmando fallere lectorem, nolui ego eruditis viris aliquid obtundere, de quo mihi certo non constet: interim aliquid afferre, quod neque pro paradoxo haberi à sobrie judicantibus posset & tamen præbere occasionem amplius inquirendi. Ego quæ mihi sententia probabilis maxime in istis, videretur. Studio non exposui: scilicet ne vel ulli præjudicarem, ne quidem mihi ipsi, qui non facile quicquam pro vero admitto, quod omnibus angulis atque recessibus non perlustravi. Præstat id certe, quam temerario ausu ita fidere suo ingenio, ut aliorum detrahas. Hæc conferri possunt cum iis, quæ à me tum

H 3 tempo-

temporis scripta sunt. Pag. 285. *Non abs re factum me existimavi, si aliquas de illarum scilicet glandularum usu quæstiones vel brevissimis moverem.* Pag. 287. *Quamvis, ut quod sententiam libere profitear, nihil nisi probabiliter, hujus de humoris usu affirmare nunc ausim, donec ipsa experientia hanc nebulam meis, aliorumve oculis difflaverit.*

Fict. *Num Vasa Lymphatica serum intestinorum, &c. ferant, ut simul cum sero chyli à renibus secernatur, satis dilui hunc liquorum serum non esse.*

Antea sat demonstratum, humorem vasis serosis contentum, serum appellari posse.

Nec ex intestinis prolicere possunt aquam hæc vasa, quam ad ipsorum vehunt regionem ab iis partibus plerisque neque Natura sunt consueta ista ambages, si salva sit.

Apertè mihi injurius es, si me existimas ortum iis vasis tribuere ab intestinis, & hinc serum prolicere. Tantum enim abest me id scripsisse, ut ne cogitaverim quidem. Id solum veri speciem habet, vasa serosa æque revehere serum in cavitatem abdominis evaporantem, ac aliarum partium. Quis enim est, qui non animadvertit, aperto viventium abdomine, magnam vaporum copiam evaporare, quæ infecto non apparet. Vaporem illum exhalare ab intestinis aliisque abdomine contentis partibus ne dubitari quidem potest. Cum autem abdo-

abdomine intacto nulla vapori detur, qua diffluat vel exspiret, via, necessario cavitate coercitâ condensatur: non quidem ob frigus peritonæi, ut Galenistæ passim somniant, sed eodem prorsus modo, quo in destillationibus Chymicis quotidie experimur: in quibus Alembicus & recipiens, licet caleant nihilominus opus procedit. Sic vaporem in pericardium & thoracem exsudantem condensari in aquam, & coacervari videmus, non obsidente aliquo frigore, sed membranus densitate sua transitum denegantibus, remissoque calore, cujus vi à cardiacis vasis exhalabat. Quid vero impedit quo minus ex simili origine liquor abdomine receptus, possit à glandulis absorberi & recipi vasis serosis? hæc est ratio probabilis ad quam intendebam.

II. *Chylum crudum.*

Magis falsus es, qui serum hoc chylum, in corde nondum in sanguinem mutatum, asseris; quo dicto omnia ante prolata falsa esse admones.

Et hoc tanquam verosimile attuli. Neque mirum est alterutram everti, si quis unam harum rationum legerit mihi singulas probabiles putanti neutra visa est absurda, aut contra principia Anatomica, licet simul veræ esse nequeant.

 Hic

Hic liquor, ut limpidissima aqua in corde melius præpari non potest, aut ut simplex elementum digeri, cum in alitis partibus sibi immista elementa reliquerit.

Ex superioribus liquet, liquorem hunc simplex elementum non esse. Coagulari enim gelatinæ instar docuimus, suoque præditum sapore esse, quæ quidem tuæ lymphæ non adscribis, nec adscribi possunt.

Nec chylus esse potest, quia aquam à chylo Lymphatica planè diversum continent, & chylus in corde statim in sanguinem mutatur, quâ de causâ & nomen chyli omittat.

Dixi Pag. 286. & publice cônstat, chylum sua natura lacteum esse. Hoc tamen non obstat quo minus in partibus, ad quas impulsu cordis appellit, deposito, quod nutrire eas potest, redeat pars ejus aquosior in chyli delatrices venas. Hac consideratione motus dixi, humorem hunc chylum esse, tum etiam, quia sapore convenit cum chylo. Et procul dubio solâ tantum cordis efficacia aptari ad nutriendum post heterogeneorum subductionem propriis in locis, necesse habet. Chylum in corde, statim in sanguinem mutari, quis præter te unum dicere ausus est? miseret me tui tuorumve auditorum, quibus adeo â veritate & naturâ absona instillas. Naturæ est paulatim pro-

procedere, ne festinando cæcos pariat catulos. Hoc ex Aph. 5. l. 2. didiceris si mihi tecum disputandi otium esset, quot non tibi absurda ex illa sententia elicerem, quæque sine iliorum ruptione forte amoliri non posses. Tuo exemplo doces Cl. Bartholine, omnem ordinem suum, habere vulgus, sed ut gratificemur tibi, chylum cordi illatum statim in sanguinem mutari. Jam tuum est ostendere nobis, qua ratione factum, sit quod scribis Pag. 87. puellæ cuidam vena secta cum sanguinem chylum effluxisse?

Nec aqua apta fieri potest ad nutriendum corpus, quæ concoqui nequit, ut in hydrope, in quo sine præviâ concoctione statim expurgamus. Et aqua quæ in Thoracicis lacteis cernitur, non ex chylo est, sed Vasis Lymphaticis; quæ aquam lacteis infundunt, chylumque vel protrudunt vel miscent.

Hæc in dubium non vocari: ideo me explicare neque hic necesse habeo.

Animadvertis benè chylum non ejusdem consistentiæ & coloris esse, malè tamen id tribuis motui locali, quod debes calori.

Absit ut uni motui locali acceptum referam chyli consistentiam coloremque. Caloris appellatione intellexi motum circulatorium, qui qua ratione differat à calore, docendus sum, si respectum non admittis. Neque enim nisi me-

lioribus, quam hactenus allatæ sunt, rationibus credam, calorem talem qualitatem esse, qualem nobis hactenus fingunt Philosophi. Verba mea legantur. Pag. 286. *Sed animadvertendum est, chylum non semper eandem consistentiam & colorem servare, præsertim ubi jam tot vasis sanguineis, per viscera, circulatus, multo tenuior redditur.*

Magis eruditè dixisses, hunc album humorem fuisse superfluum succum, qui partes aluit, quod Harvaus docuit Exerc. 70. de G. A. p. 332. & ante ipsum Ent. in Apologiâ pro circulatione sanguinis contra Parisanum digress. 4. p. 68. licet in hepate & partibus extremis quæ aluntur nullus albus succus vel chylus reperiatur.

Nihil hic me doces. Nam si *superfluum succum* intelligis, serum nutritioni ineptum, & ad fontes vasorum serosorum refluum, nihil dicis præter id, quod à me dictum in quæst. Tract. de D. Hep. 1. cap. 8. de glandulis. Si vero per *succum superfluum* chylum nutritioni non satis aptum, ideoque necesse habentem revehi ad cor ulterioris elaborationis gratiâ, eruditius quid dicere non potui supra id quod dixi quæst. 2. ejusdem capitis.

III. *Pin-*

III. *Pinguedinem à calore liquefactam.*

Quo doctior Scholiastes audias, hoc serum pinguedinem calore partium liquefactam commentaris esse, num probè, parum observas. An persuaseris omnia animalia in quibus hanc lympham à naturâ reconditam invenisti, pinguia fuisse, aut ejusmodi calore æstuasse. Pinguedo rarò in hepate visitur, imo vasa lymphatica in artubus habere conspectiora, quæ minus pingues sunt.

Tertium hoc, tibi paradoxum, mihi probabile est. Supponamus, ordinariè vasa hæc aquam vel serum superfluum revehere â partibus: quid impedit quo minus eadem opera colliquefactam pinguedinem à partibus eâ donatis una vehant. Nisi id concedimus quam dabimus rationem, corporibus macrescentibus, pinguium sudorum, urinarum fæcum? ubi vero dixi pinguedinem à partibus minime pinguibus resumi in hæc vasa? Tune unquam in hepate pinguedinem vidisti? si enim raro ibi visitur, saltem aliquando. Quod præter te dixit nemo.

Certum est canes & feles non sudare, ideo nec hanc lympham debere habere, addo & ea animalia quæ ossibus solidis nascuntur. Solin. c. 4. p. 182.

qua

quæ tn. cottidiana experientia lympham habere docet.

Hoc colon neq; meum est, neque intelligo.

Nec febribus, diuturnis morbis, aut languido ventriculo tuas feles consumtas fuisse, ut necessario hanc lympham haberent, quâ alerentur.

De hominibus locutus sum non felibus. Et in illis inquisitione dignum Pag. 286. dixi, num glandulæ etiam abducant pinguedinem, quam vis caloris solvit, & in vesiculam chylosam inseruit.

Mi Rudbek Abderam magnis itineribus contendas, quo consilium exquiras, quid tibi opus sit.

Si ita videtur, præibo Abderâm, ut Helleborum invenias jam præparatum cum appuleris.

Oportet ut discas, in animali ægroto non solum sanguinem imminui, verum & omnes partes molles, quidni & duriores.

Quem non hæc omnium stultorum magistra docet.

Et IV. *Quod humores isti insensibili transpiratione in ipsâ infundantur.*

Fict. *Insensibili transpiratione demum hunc liquorem suis vasis immitti credis.*

Rur-

Rursus affingis mihi, quod nunquam in mentem venit. Non enim dixi hæc vasa suscipere humorem insensibili transpiratione. Adverte animum ad ea, quæ scripsi Pag. 281. *Nam si illum esse serosum atque per insensibilem transpirationem emissum, concedatur.* Aliud certe est *recipere humorem ab aliis partibus transpiratione insensibili emissum*; Aliud, *humorem illum in vasa insensibili transpiratione recipi*: illud enim denotat, partes carnosas vasis circumjectas, humorem serosum sibi cum sanguine advectum per minimos poros exsudare, atque sic insensibili transpiratione colatum à serosis vasis recipi. Hoc autem sensum longè alium habet. Vasa enim serosa dicit liquorem, quem continent, obscuris viis per tunicam suam accipere. Denique æquæ probabile est carnosas partes serum evaporare, ac viscera abdominis: de quibus supra dixi.

Qui videmus vias, & vasa diligentius rimamur, non confugimus ad hoc ignorantiæ asylum, ne conspecto ductu erroris arguamur.

Qua diligentia vias & vasa, ceteraque omnia rimeris, nulla non pagina tuorum Anatomicorum abunde satis ostendit, & dabimus mox operam, ut ipse tu cognoscere queas. nullum magis odio nobis est, quam publicum illud ignorantiæ asylum. Ceterum ad partes venire

hoc

hoc ſerum à corde per arterias neceſſe habet; ut vero redeat in vaſa ſeroſa prius opus habet a carnibus evaporare. Cui enim natura tam Lynceos oculos conceſſit, ut in ipſa carne vaſa ſeroſa monſtrare poſſit? videre tamen tu hoc beneficium nactus, quod te vias iſtas vidiſſe gloriaris, quicquid ſit invidere non debebas aliis hanc notitiam, ſi eam adeptus ſis: quam clarè & perſpicuè deſcripſiſſes in vaſis tuis Lymphaticis. Si vero id factum vel verbis vel delineatione figuræ confendas, ubi ſunt vaſa illa cuilibet carnium particulæ inſerta, ut aquam ex ſingulis earum hauriant.

Tibi Rudbek Paradoxologe placet ineptire, ne Bartholinum optimum ducem perpetuò ſequaris, aut confitearis, te in hâc re ab ipſo ſublevatum fuiſſe.

Ineptiviſſem ſane, ſi te mihi Bartholine ducem elegiſſem. Quid enim aliud exſpectandum erat, quam ut una tecum in ignorantiæ foveam inciderem.

MEM-

MEMBRUM XII.

AD CAP. IX.


Fucus Rudbeki animadvertitur, qui Bartholini dicta aliorum observationibus additis absonè supprimit.

SI animus esset longis responsionum diverticulis (quod quidem calumniæ tuæ merebantur) apologiam hanc extrahere, implenda esset charta, non tam rebus, quam rerum umbris. Ego hæc parvi facio confidens ea sufficere, quę initio hujus adducta sunt.

Quomodò retrorsum ire potest lympha, si valvularum quas supra toties adstruxisti modicè officium intellexeris.

Non sunt hæc usque adeo obscura; ut ad ea ratio nostra nequeat penetrare. Ostendam tibi modum & rationem. Fiat canalis ex ductili materia, latitudine digiti, cujus omnes valvulæ ejusdem sint magnitudinis, vel paulo majoris.

Esto



Esto *a. b.* canalis. *d.* pars fixa valvularum. *c.* earundem extremitas mobilis. Impellatur in canalis. 1. Figuræ inferiorem partem aqua ab. *a.* versus. *b.* quæ elevet valvulas, cogaturque ascendere supra ipsas; videbis aqua quo dixi impulsæ refluxum negari à valvulis, quia cum sint majores cavitate canalis, incumbunt lateri *c.* qua parte mobiles sunt. Deinde extremitas canalis *b.* stringatur, ligatura, ut in Figura 2. majoreque violentia impellatur aqua: videbis canalem majorem fieri, nec valvulas posse latus. *f.* attingere. Deinde humorem infusum ad latus. *a.* inde ascendere versus. b. iterumque humorem prius ad latera. g. h. commorantem descendere ad. *f. k.* Eodem modo in animalium vasis fieri potest. Nam lacte vel alio humore vasa serosa & lactea in duplo majorem latitudinem extendi possunt. Atque ita ut valvulæ cavitatem non

tegant;

tegant. Postea compresso digito, humorem videbis vel ascendere vel descendere, in quam partem digitum direxeris. Applica nunc hanc demonstrationem ad obstructionem naturalem, & hanc eodem modo fieri animadvertes. Longiori descriptione hæc equidem possent multo clarius dici. At quia hæc sapienti dicuntur, satis sunt.

Aut hæc tenuia vasa sufferentne tuæ manus violentiam, quæ frequenter ipso attactu disparent?

Meas manus jam sufferre didicerunt. Oportet tuas esse admodum rudes, quarum ipso attactu disparent.

Nec restagnare aqua in abdomen potest obstructis vasis serosis, siquidem aqua ab inferioribus, non superioribus provenit abdominis partibus.

Primo hic concedere necesse est, vasa serosa tam lumborum, quam intestini recti in abdomine esse. Si hoc verum, absurdum non est, aquam sive serum ab ipsis non assumtum in abdomine posse restagnare. Deinde hic laboras præconcepta, eaque falsa opinione; vasa nempe serosa ex cruribus venientia abstructionem pati, saltem in initiis eorum. Cur autem tibi impossibile videtur etiam obstrui in medio, aut ad insertionem in vesiculam. Quod si hoc fieri potest (quod negari nequit) possunt etiam vasa in abdomine rumpi, serosumque humo-

rem, effundere, vel serum à visceribus evaporans, beneficio glandularum, quibus immerguntur, non allicere. Humor itaque à glandulis & vasis serosis non assumtus, in cavitate abdominis stagnat, ac hydropem efficit, ut per experientiam à me probatum est. P.288. *Quod mihi 6. Aprilis Anno præsentis scilicet. 1652. videre in ove contigit, cujus glandulæ in abdomine circa crurales venas sita, pugni ferè excedebant magnitudinem, exterius molles & aqua tumidæ, intus prædura,* (T. 2. F. 1. fffff.) *quarum vasa serosa, ad divisionem venæ cavæ & arteriæ aortæ in ramos crurales, à tumore duro compressa erant, atque inter glandulas ac tumorem illum calami scriptorii crassitiem æmulabantur, supra autem versus vesiculam chyli, ne vestigia aliqua reliquerunt. In abdomine 6. libras succi aquosi reperi; in quo intestina quasi fluctuabant. Postmodum cultello ductus serosos abscindebam, quo facto, humor illis atque glandulis contentus confestim evanuit; glandulas deinde comprimebam, donec evacuato omni sero, fabæ magnitudinem non æquarent; unde conjiciebam aquam abdominis cavitatem occupantem restagnasse, propter horum vasorum obstructionem, quæ non sinebat illam à glandulis excipi atquè illorum beneficio in vesiculam traduci.*

Sic fuco omnia implicas, quem ut aliquâ ratione approbes, simulas multorum autorum familiarem lectio-

lectionem, qui nullum verbum de scripto Bartholini profers. Qui tua conspiciunt, facile cognoscunt esse aliena. Tædet repetere ea quæ capite 4. objeci, ubi expressi caput, paginam Vasorum Lmphaticorum, ex quibus hujus cognitionis utilitatem sumseris. Hanc an tu melius adumbraveris Doctis constat. Ex Tulpio lib. 2. rar. obser. c. 34. exactius hanc doctrinam quam Rondeletio expressisses. Notat ille, in puellâ apertâ ob aquam intercutem, mesenterii tumorem 20. lib. ponderantem, & refertum plurimis vesiculis limpidâ aquâ distentis, fuisse. Increvisse lentè, ut moveret suspicionem imprægnationis, sed elapso partus tempore afflixisse eam triennium. Meliora ex Platero & aliis omitto, ne queraris te ubique à me lacessi.

Antiquum obtines: nihil agis: præstitisset otium fuisse.

MEMBRUM XIII.

AD CAP. X.

VT *supra caput V. ita & hoc ad V. caput Lymph. Fict. Bartholini refero, in quo accuratè hæc omnia pertractavit. Si aliter observaveris, me iniqua in te congessisse fatebor.*

Non jam morabor in eo capite repetendo, quod hic citas. Nam cui bona. Hoc solum te rogatum velim, ut retegas, quæ ibi dixi. Re-

peries (nisi fallor) ea convenire cum tuis, ut lucem cum tenebris: non repetam tuam descriptionem mancam esse, atque imperfectam: nam in superioribus id passim ostendi. Indigitanda tamen quædam existimo, quorum ne cap. V. meministi quidem. Hujus generis sunt vasa serosa, pericardii, intestini recti, vasorum lumbarium, sterni, æsophagi: quæ haud dubio non præteriisses, si cognita tibi fuissent. Patet ergo vel ex hoc uno quam tu mihi nuspiam auxilio fueris. Ut jam non dicam modum secandi & investigandi hæc vasa in illud usque tempus te ignorasse. Quæ enim alia causa omissionis tuæ.

Fict. *Optimum tamen ut soles non expressisti, opportunum tempus hæc vasa inveniendi; quod in hâc ἐγχειρήσει per necessarium scitu.*

Nihil verius, & doles credo hunc bolum tibi non objectum: interea si quæ scripsi, Pag. 294. recte expendisses, invenisses quæ desideras. Quibus nunc hoc addo, *Cavendum tibi esse in vivis ne sanguine obruaris, in mortuis ne humor se justo citiùs subducat.*

Fateris in fine nihil tibi gratius fore, quam augeri has observationes: Et tamen ferre non potes in Bartholino, quod & invenerit & auxerit inventa.

Illud prius etiamnum te aliosve cujusvis pretii Anatomicos rogo, ut observata mihi

suis

ſuis obſervationibus augere dignentur. Tantum abeſt ut tibi vitio vertam, ſi quo bono nos juveris. Quod in te non fero, non feram, illud eſt quod aliorum inventa pro tuis venditas.

Non tango tuas obſervationes anatomicas, quæ nil novi præter feles diſſectas noverunt; ut citius ad tuam Epiſtolam perveniam, & demonſtrem; te κλέψαι αἰσχρὸν τὴν φήμην.

Catalogum novorum, quæ obſervationibus meis Anatomicis protuli, non texam. An diſſimulas, an neſcis quid novum in Anatomicis dici mereatur? me furari turpem famam, turpè dictum eſt. Cave ne illius aliquando tu reus agere.

MEMBRUM XIV.

Ad Epiſtolam à Rudbekio ſcriptam ad D. D. Hemiſterhuis. In qua Rudbekii impudentia notatur.

INſcitiam arguit temeritas, quæ non didicit vereri, niſi ſuos vanos impetus viderit infelices eſſe. Si primum impetum effudit, ſicut quædam animalia

omisso aculeo, torpet. Læta tamen est, si modo lacesserit turpiter. Ideo virtutem spondet sibi, quod ausa sit in conspectum progredi, licet à vulgo ipsius ferocitas possit compesci. Quod robur huic inesse putaveris, cum jactitat suam vim nil superare. Fugit hanc pestem cujus mens meliori genio gaudet & abominatur hanc perniciem omnibus mortalibus invisam. Nunquam felici auspicio gaudet, qui se protervè gerit. Verum cum sibi abblanditur infaustâ voluptate, speratum præmium amittit. Hâc insigni voluptate nisi Rudbek nimis efferares animum non æstimarem tuæ adolescentiæ tantum cogitationes, ut ipsas vellem corrigi, quas majorès anni solent mutare. Movet me quod insultas claris nominibus insontium virorum, etsi præter strepitum nil efficis.

O quam te torquet epistola mea! hæc sudes in oculis tuis. Hæc tibi scribendi occasio. Et vel ob hanc causam eam me scripsisse gaudeo; ut scilicet vires tuas ad elaboratius atque modestius scriptum provocarem. Quos enim in me impetus damnas innocui fuere, quotquot videre tuos, minis insolenter sublarva proditos riserunt omnes præter eos fortè, quibus nihil non tuum benè olet. Quod vèro ceu vanus haruspex hariolere post primum adolescentiæ impetum, nihil vigoris, nihil solertiæ, superfuturum: dabo operam benedicenti Domino, ut liqueat prudentioribus, quanta arro-

arrogantia aliqui ſibi abblandiantur, quorum tamen ſcientia maxima parte in opinionis fumo conſiſtit. Nihil quod ſciam, in epiſtola à me ſcriptum eſt immodeſti, nihil veritati contrarium. Nihil denique contra ullius viri authoritatem. Non inſulto nominibus clarorum Virorum, quorum à me facta eſt mentio ſine ullo incommodo. Quod autem miratus ſim non nulla te mutaſſe, quæ ſolum tempus inventionis vaſorum Lymphaticorum concernunt, ejus rationem te aſſecutum non eſſe, aut aſſequi non voluiſſe, hæc innuunt.

Quid tuâ refert Rudbek monere, Cl. Bartholinum in hâc iteratâ editione nil mutaſſe, nilque præter annum inventis addidiſſe?

Nunc igitur mihi reddenda eſt ratio. Vidi ſtatim, quid parturit ea, & intelligere poterit quiſque. Non tam abjecte de me ſentiebam, Ut deſperarem fructum capere ex labore ſedulo, quem alii audent ſibi promittere ex defunctorio, imo vano. Deinde majus erat, quod ex ſilentio verebar: ſcilicet non defuturos, qui ideo dicerent Tractatum meum tuam crambem eſſe in mea culina recoctam, quod in principio non contradixiſſem. Id prævenire volui, quo non ulli ex eo naſcatur malè de me loquendi aut ſentiendi occaſio. Nec puto præter te alium fore, qui me in conſortium

laudis, inventis tam utilibus, debite non admittat.

Vecors censor censuram agis, homo sine censu. Quo veritatis vestigio hujus inventi auctoritatem negas Bartholino? aut quo tibi vindicas? Eo, quod omnia ex Bartholino exscripseris, ut pateret, te furtum commisisse memorandum. Hodie te primum vidisse Lymphatica Bartholini asseris, & tamen statim animadvertis differentiam primæ editionis à secunda, quod hodie fieri non potuit, nisi priorem heri priusvè vidisses.

Pict. Hoc scripsi si demas adverbium primum, quod consilio non bono interjicis, & ut mihi persuadeo, arguendi me mendacii causâ. Jam tum primum vidi secundam editionem, de cujus discrepantia à priore. Quamque alibi dixi me Hamburgi emisse, hic agebam.

Pungit te vecors libido, quæ te in quævis pericula præcipitem agit maleconscium, ut suspiceris quodvis sine ratione. Quod tempus inventionis primæ accuratius positum sit in secundâ editione, hæc causa est.

Quod in tempore non expresso, refugium tibi ponis, si quis (quod mihi accidit) eodem tempore prodiret in publicum. Hoc consilio obtrusisti nobis vasa lymphatica in homine, quæ non sine gravi ratione dubito an videris.

Quod Typographi passim recudant, non Lactea tantum Thoracica, sed & Vasa Lymphatica, quæ iterato

iterato prodierunt, jam Leydæ, Parisiis, Genuæ, unde evenit ut semper in ará dubitetur, & alii scioli sibi inventionem attribuant, quod jam factum videmus.

Quasi vero ignorent cati emtores, quę prima quæ ultima libri editio sit. Sed videtur hujus periodi is scopus esse, qui indicis librorum à te editorum, præfixi centuriis Anatomicorum: scilicet ut publice constet quot libellos vomueris.

Eadem ratio, quod pag. 196. *lin.* 21. *Annus* CIↃ IↃ C LII. *sit additus, quia in tot editionibus variorum annorum semper annus ignorabitur, vel pro postremo exit accipiendus quod falsum foret. Adhæc Typographus primus, nescio qua incuria omisit hunc annum in autographo autoris signatum, & à me visum sanctè affirmo.*

Quanti tua hæc affirmatio sit, lector noster ex antecedentibus judicabit.

Insulsè objicis Bartholino : Superiori anni *scil.* CIↃ IↃ C LII. theatrum nostrum Lacteas thoracicas in homine parturivit, ne aliquibus inventis diligentia nostra subsideret hic annus majora prodit, *nempe Vasa Lymphatica. Indicat Bartholinus scriptum editum & publicam demonstrationem, non inventionem.*

Theatrum scio publicis sectionibus aptum, & inquirendis quæ alibi conscribas. Quid est,

hoc, *Lacteas Thoracicas parturivit?* ut ego accipio, eo tempore primum eas invenisti, quo & in Hist. Anat. LIII. Cent. I. confiteris. De inventione ergo non de olim inventi demonstratione sunt tua intelligenda. Abundè enim tua ipsius verba testantur antea tibi lacteas thoracicas hominis cognitas non fuisse. Quod si hæc vera sunt, sequitur etiam Vasa Lymphatica non prius à te visa fuisse, quam Anno 1653. quod itidem verba tua ostendunt. *Ne aliquibus inventis diligentia nostra subsideret, hic annus majora prodit.* Si autem editio Leidensis vera erit, ubi Vasa Lymphatica à te Anno 1651. mense Decembri, & 1652. inventa esse loqueris, cur non eorundem mentionem fecisti in Lacteis thoracicis, qua primo prodierunt 1652. mense Majo? hæc clarius in generalibus exposita sunt.

Unde diffidis & his argumentis, suspicionibusque, & concedis veram æram, etsi differentiam unius anni adducis, quæ supra explosa est. Insignem quoque Fict. *fallaciam consequentiæ nectis, reperisse te vasa hæc* CIↃ IↃ C L. *quia ea* CIↃ IↃ C LII. *monstrasti Reginæ. Posses hoc argumento evincere, te invenisse illa decem annis ante cum sub ferula esses.*

Insignem fallaciam depravatæ interpretationis committis aut intellectus. Nonne ratio argumentationis meæ satis evidens est? quia

ego

ego serosa vasa Anno 1652. mense Aprili Serenis. Reginæ monstravi; necessarium esse ut jam ante mihi inventa, cognitaque fuerint, quid enim talium describi aut explicari potest, quod non antea fuerit in sensu & intellectu. Ceterum non ea fuit vis argumenti mei, quam existimas, quia vasa illa An. 1652. in Aprili Serenis. Reginæ monstravi, ideo sequi An. 1650. à me reperta fuisse. Nihil minus volo, nam id putidum esset, & vanum, ut rectè animadvertis. Hic sensus est narrationis meæ. Quia Serenis. Reginæ Anno 1652. mense Aprili publicè ostendi vasa aquosa, te autem cum tuis mense demum Majo prodiisse: idcirco mihi inventionis laudem, non tibi debere, ut jam non repetam eo tempore te vasa hæc aquosa, si forte genuina vidisti, pro lacteis habuisse.

Et sit te ea conspexisse CIↃ IↃ C L. *idne potuit Bartholinus olfacere, qui ne natum te sciebat, antequam feriis natalitiis exeuntis* CIↃ IↃ C LIII. *anni, per Hauboldi servum Holmia adveniret Haffniam tuum scriptum.*

Non pudet te tam splendidè mentiri? annon ineunte autumno, qui præcessit ferias natalitias Anno 1653. præstantis. D. M. Wormius submisit tibi exemplar sua manu descriptum ex unico meo, quod huc attuleram ex iis, quæ Arosiæ edita fuere, una cum picturis ad inventi

mei

mei intellectionem necessariis, & propria mea manu delineatis signatisque. Vah pudor? neque enim credo Dn. Wormium aliud nunc dicturum quam quod antea locutus est.

Auges malitiosè figmenta, qui tua verba c. 3. Fict. *l. c. 2. producis, & demonstrationem publicam, cum ibidem nil de Lymphaticis, aut serosis scripseris. Ineptum subsidium petis, & famam ignavâ operâ quaris, cujus loco ignominiam reperisti.*

Non sum arbitratus te tantæ Reginæ, qualem antehac nulla sæcula videre, fidem in dubium vocaturum. Adeone frontem perfricuisti. An vero me adeo impudentem existimas, qui ausim temerè provocare ad testimonium Reginæ, & vel tacito tantum nomen in conscientiam pudentissimi facti vocare? opto tibi in omnibus tuis conscientiam tam integram, ac mihi est hac in re. Quæ tibi malè sana ratio dictavit Serenis. Reginæ, me vasa lactea non aquosa ostendisse. Ut vero aliquid probasse videare, regrederis ad Cap. 3. præteritis omnibus, quæ in ceteris clarè erant dicta. Vide quæso Cap. 1. ubi invenies non modo lactea sed serosa vel aquosa nominata: *Hoc ita pro vero habito, cum aliquando, præsentibus,* Magnâ Europæ virgine CHRISTINA *serenissima atque clementissima nostra Regina, illustrissimis atque generosissimis Dominis, amplissimo senatu*

senatu Academico, studiosorumque corona; lacteas thoracicas publice ostenderem, hos quoque ductus scilicet aquosos in medium adduxi. In capite vero tertio non opus erat eorum denuo meminisse quod unius ejusdemque sectionis essent. Hallucinaris ergo, qui non modo hic, sed & antea toties citas, quæ citari non debent: quæ vero clarè scripta & explicata sunt, quasi nunquam edita essent, præteris. Deprehendi tamen mendacii vestigia,& ex fuga te retraxi. Quid restat, nisi ut infamiæ literâ noteris.

Facillimè expiscari potuisses, si non vidisses Lymphatica, ex Thoracicis editis cIↃ IↃ C LII. *Bartholinum inventorem rectè dici, Lymphaticorum. Expressa ibi Vasorum Lymphaticorum sæpius habetur mentio; & cap. 6. pag. 21. præcipue eorum, quæ circa hepar cum Cl. Viro M. Michaele Leysero 15. Dec.* cIↃ IↃ C LI. *vidit.* Mirum observavimus in cane ductus lacteis similimos sed modo lacte, modo sero pellucidos, à mesenterio sive receptaculo novo serpere, partim sursum ad hepar cum portâ, modo ad renes per emulgentes, modo inferiora versus, secundum cavæ descendentis ad ilia tractum, cui insternebantur, & mediâ membranulâ jungebantur, donec vesicæ alveus conspectum interciperet, ulteriorem, qui vinculo levi intercepti inferiora versus tumebant, versus mesenterium

vero

vero inaniebantur, ut ſuſpicio nobis nata ſit, peculiare hoc eſſe vaſorum genus, ſero deſtinatum, de quo judicium in alias obſervationes diſtulimus. *Meminit quoque Iliacorum in eodem tractatu repertorum* 4. *Ianuarii* cIↄ Iↄ c LII. *cap.* 12. *pag.* 38. Singulare eſt quod in cane vidimus, ad pedes anteriores ſeroſa quædam vaſa, quemadmodum in abdomine venas pedis comitari utrimque; pellucida inſtar illorum, quæ in thorace & abdomine alias obſervavimus, quorum neque ingreſſum neque egreſſum potuimus tùm diſtinguere, ſed vinculo intercepta tumebant verſus ipſos artus. *Simulas te hæc non vidiſſe in Bartholino, & tamen immemor tui hunc librum citas. Ita ter ex tuo indicio te prodis, ut nil clarius dici poſſit, aut quo tua protervia corrigatur, aut factum nefandum indicetur.*

In omnibus his peſſimè ſapis. Quomodo vaſa aquoſa demonſtrare potui Sereniſ. Reginæ, menſe Aprili, adjutus tuo de lacteis Tractatu, qui ut toties dicere cogor menſe primum Majo ejuſdem anni prodiit. Quam callidè autem hæc loca citaveris, ex tractatu de Lacteis, membro ſecundo palam feci.

Eſt ſcriptum tuum fœtus poſthumus, ideo exſors juris hæreditarii, quemque perluſtrum circumtuliſti, mola meritò audit:

Mon-

Monstrum horrendum informe ingens cui
lumen ademptum.

Id cur non prius edideris calva est excusatio: si id te absterruit quod esset immaturum & capite truncatum; *debuisses adhuc te continere, quia cottidiè augetur inventum, tam Lactearum, quam Lymphaticarum, sed verior causa, quod te expedire non potueris ante visum Bartholinum.*

Inventa mea, qualia Anno 1650. & 1652. habebam, quare immatura vocaverim, etiam ante rationem reddidi. Quibus nunc addo, quod fidendum non putarem, quoties in publicum prodeundum est cum novis: sicut à te factum est in Vasis Lymphaticis, in uno Jano vix cognitis. Addo & propter Lacteas, quarum progressus in Pancreate, ad vesiculam, mihi nondum erat satis perspectus. Non volui autem pedes & caput ostentare sine corpore. Si vero animus fuisset illud quod tum temporis immaturum erat, in lucem proferre, potuissem equidem eodem jure & pari fructu, quo tu tua protulisti. Sed eadem omnia, quæ me absterrebant, à divulgandis meis vasis serosis & lacteis, merito etiam te à proposito absterrere debuissent; quidquid enim de illis edidisti, quibus rationibus se excusabit ab incondita ruditate, ut ne dicam merâ incertitudine? immaturum est, quod de lacteis vulgasti. Ubi enim

enim progressum à pancreate in vesiculam chyli exhibes? immaturum est, quod de vasis lymphaticis animalium vulgasti. Multa enim eorum, quæ vidisse prius debueras, in hunc diem non vidisti. Visa autem falsò descripsisti, & imperitè delineasti. Immaturum est quod vasis lymphaticis in homine vulgasti. Hepaticorum enim nec ductum nec insertionem, nec valvulas, nec figuram, nec substantiam verbo nihil explicavisti. Deinde lacteas binas Mesenterii Lymphaticis venditasti. Quarum origo etiam & insertio tibi ignota est. Hęc ego singula, quæ in brutis bene perspecta, te longe accuratius & clarius, (quamvis stilo impolito) non modo descripsi sed & delineavi.

Et ut scripto qualicunque stipendium Reginæ exambires, ut Leydæ studia continuares.

Quod in opprobrium mihi objicis, nescio qua animi libidine ac stupore, hoc mihi maxime laudi duco. novisti credo incomparabilis istius Reginæ Doctissimæ meæ clementissimæ; singularem liberalitatem, & in hac non temere collocanda acre judicium. Quid in me Sereniss. Regina viderit, quare me dignata sit stipendio, quo multi in Belgio Professores non fruuntur, non possum dicere: exosculor cum omni veneratione hoc beneficium ac publicè priuatimque deprædicare immeritam

in

in me munificentiam soleo. Eja vero quanti interest Professoris titulo an studiosi (ex quibus professores fiunt) stipendium Principis mereri? an vero dolet tibi ali ingenia in spem frugis? an vero metuis, ne quis te doctior evadat adjutus liberalitate Optimæ Maximæ studiorum Promotricis.

Prudentem verecundiam fingis, quam invidia summa destruis. Si ambitionis vitio me damnare vellem, & Lactearum thoracicarum inventione certamen cum Pecqueto inire auderem; *Audaculum tyronem! qui sine auspicio, sine tessera Bartholini progredi non audet, qua passim utitur, & hic nititur.* Neque Experientiss. Pecqueti Thoracicarum lactearum descriptionem in animalibus unquam inveni, nisi natura aliter in Galliâ, quam Suecia, Dania, &c. cum brutorum conformatione ludat. *Hæc ex Bartholini Thorac. c. 12. p. 73. fide bona recitas, quibus annuis te Bartholinum assiduè volvere.*

Verum est ea verba, quæ ex epistola mea adducis, originem debere tibi, idque non injuria, siquidem nihil rerum exscripsi, sed solummodo verba, propter maximam eorundem elegantiam, quam in scriptis tuis tanquam puræ Latinitatis gnarus adhibere soles. Mihi id ab aliis probro non erit quod in Latinitate cujus rudis arguor, subsidium non

nunquam ab aliis petam. Neque tu id reprehendere aut vitio vertere potes, neque etiam tibi blandiri, quod toties revolvam ſcripta tua, quaſi aphoriſmos continerent Hippocraticos. Talia enim mihi ſuccurrere poterant, vel ſemel tua perfunctoriè legenti. Non ſuperciliosè de his nuper inventis judico, non arroganter repudio, neque tamen quod credis, inter manus meas quotidie verſantur.

Id tibi non invidet, imò invitat ad Lymphaticorum inquiſitionem in homine, modò ne illum ſuperciliosè allatres, & candidum ingenium infamia ſaucies. Totâ Europa diffuſum eſt, primum Bartholinum hæc Vaſa Lymphatica reperiſſe, deſcripſiſſe, divulgaſſe, nil de te Rudbek, nil de tuo furtivo ſcripto quam nuper percepiſſe. In omnibus Bartholinum æmulatus, & ubi non aſſecutus es, Paradoxa adjeciſti. Si quid invento addidiſti, laudem mereris, quam tua malevolentia & aſtutia jam imminuis. Non eſt, quod provoces ad Doctores Leydenſes, illi enim Bartholini Lymphatica vaſa viderunt, antequam de te Rudbek quidquam inaudiverunt, ut litera ad Bartholinum teſtantur.

Imo ad Doctores Leidenſes provoco, maximaque debeo propenſioni atque benevolentiæ excellentiſſ. Dn. van Horne, quod me tam contentim ab inimico oppugnatum, honorare teſtimonio ſuo voluerit, cujus exemplum apponere placuit.

Cla-

Clarissimo VIRO
D. OLAO RUDBECK
Sueco S. P. D.

PErlegi, non sine animi sensu, Olae Doctissime, quæ de Martini Bogdani tractatu ad me scripsisti, nec prius conquievi, donec ejus mihi facta fuerit copia. Iudico autem & invidiæ & maledicentia plenum esse libellum, à quibus cum longè absit Celeberrimi Bartholini animus, indignè fero ejusmodi hominis tumultuarii calamum in hujus defensionem fuisse strictum. Quid, nonne suas satis superque tutabitur partes Bartholinus, aut suis forsan viribus diffidit. Vt ejusmodi indigeat Hysperaspiste? à tali namque Achille non vulnerari tantum, sed & interfici gloriosum esset. Hic vero sub exuviis leonis Asinum condit, in re Anatomica planè rudem, atque audet etiam obrudere Anatomicorum (palam dico quod sentio) dexterrimum & accuratissimum cuique ego palmam facilè concessero: tantum abest ut fateri nolim, me primo omnium Lugduni Batavorum fuisse deductum tua opera in cognitionem vasorum seu Hepaticorum seu Lymphaticorum, prout appellare libuerit. Cum enim ad manus meas & aliorum pervenisset excellentissimi Bartholini de Vasis Lymphaticis libellus, continuè itum est ad me, quem Anatomica professio incumbere jubet meridianis ejusmodi exercitiis. Ego autem negavi ea vasa à me visa fuisse,

partim quod encheirisios ratio (quod in recens inventis contingere mirum non est) non satis ad captum esset expressa, partim quod canes magni macilentiq; , quales venatici sunt, ab Autore ad horum vasorum indaginem requirentur, quos cum nullo modo nancisci potuerim, atque insuper modum administrationis ignorarem, destiti ea perscrutari, ne oleum simul & operam perderem. Tu vero spretis & posthabitis his omnibus difficultatibus, non in cane venatico, macilento, vivo, aut ante certas horas pasto, sed in Erinaceo *terrestri ante biduum mortuo. Adhibitis dexterrimis ligaturis, eadem, eorundemque cum lacteis mesentericis jucundissimam visu anastomosin oculis meis subjecisti. Adeo ut asserere non dubitem, nullum fore tam perfrictæ frontis* Lugdunensem *Doctorem medicum, qui ante tuum adventum ejusmodi vasa in aliquo subjecto à se visa ausit fateri. Tu vero amicorum optime, cui nunc de prima inventione vasorum lis movetur, quam ego meam non faciam, ita apud animum reputa tuum, jam primum bene tecum agi, quia inuidetur, nec asinum, qui te calce percusserit, in judicium vocare noli, sed contemptu* Te *vindica, ipsa namque virtus sibi satis est præmium, quam unicè juxta cum omnibus bonis in* Te *colo & æstimo, & propter quam semper ero*

Dabam Amstelodami 1654.

Tibi Addictissimus

JOANNES VAN HORNE

Doct. Anat. & Chirur. Prof. Ordinaris.

Icones

Icones etiam ex ingenio fingis. Nec possunt Lactea ita accuratè separari, multò minus serosa illis tenuiores.

Ita tibi persuades, procul dubio, quia separandi ea vasa dexteritatem nondum es nactus, quod tamen non ita difficilè, ut existimas. Si lubet, & hanc gratiam à me requires, coram testibus illa integra eximam tibique transmittam.

Glandulas in Fig. 1. Tab. 2. *ex ove morbida desumsisti c.* 9. *& pro naturalibus venditasti.*

Imo naturales sunt, illas enim glandulas non solum in ove, verum etiam in omnibus animalibus, à me dissectis observavi multoties, præsentibus illis, quos sæpius laudavi. Sed forsan tibi Cl. Bartholini mirum hoc videbitur, qui vel nullas sectiones, vel saltem insufficientes, pro inquirendis Vasis Lymphaticis, & eorum glandulis instituisti.

Ego quo potui ingenio Cl. Præceptoris dignitati, consulere nisus sum, ad id tua epistola me primum impulit, etsi antea tuo instituto non favebam, & me Cl. Bartholinus ab hoc scripto retrahebat, interserens: Tempori insecuturo convenire judicium, & candidis ingeniis, quod hoc publico scripto non sustuli, sed quo id facilius fieret, & digno palmam ferrent indicavi. Igitur Cl Bartholinus non diffidit suo juri qui lacessitus non resistit.

Cl. Bartholine quia jam ad finem festinat responsio mea, apponam, autoris cujusdam optimi, non inconcinnam in simili argumento narrationem. Refert is de duobus viris, quos transmutato nomine appellare libet Libartonum & Tinarmum quorum ille famâ, alter affectu mentis erroribus nomen suum plerisque commendaverat. Jucunda erat spectatoribus scena, dum Libartono fugâ se subducenti atq; curiosè investigato, Tinarmus inventus est, qui se Libartonum esse constanter nimis profitetur. Paucissimi quidem aderant, quibus mentiri illam personam poterat, non vestis Libartono digna; non corporis & lineamentorum æqualitas, & quod maxime arguebat, non eadem animi bona. Nihilominus tamen in illa publica ignominiâ gratulatus est sibi vehementer, se eundem esse quem quærebant. Intenderat ea res in initio adstantium animos, sed postquam fabula percrebuit, iis etiam invitis, risum expresserat. Mutato nomine de Bogdano fabula narratur. Multa sunt Cl. Bartholine quæ tuam inconstantiam, quam in me sæpe frustra reprehendis, arguunt. Primo dicis Te retraxisse Bogdanum à suo instituto; qui fit ergo, quod amico tuo hic Lugduni Batavorum versanti scripseris, Te nihil scivisse, neque quando scripserit, neque quando edide-

ediderit hoc ſcriptum apologeticum: verba tua ſunt.

Vir Clariſſime, affinis Honorande!

Tuas recte non ita pridem, cum icone Receptaculi lactei in homine inventi accepi. Pro utraq; gratias ago, & unicum in votis habebo, ut in officio & amore tecum paria faciam. Elegans lactearum noſtrarum augmentum perplacet. Et utinam his aliiſque augmentis inclareſcere magis vellent nonnulli, quam obtrectatione famæ alterius, & inventi. Si recte conjicio in icone tranſmiſſa & à Cl. Rudbeckio delineata, videtur Lymphaticus quidam eſſe ramus, qui à receptaculo lacteo ad inferiora deſcendit, litera p. ſignificatus, per quem aqua receptaculo ab inferioribus infunditur, lacteus enim eſſe nequit, quia nec uſum haberet, nec eo uſque progrederetur. Quicquid ſit; laudem diligentiæ author meretur. Mitto tibi centurias duas Hiſtoriarum anatomicarum nuperrime editas, quas æqui bonique pro candore tuo conſules. Miſiſſem & reliquis Lycæi veſtri Doctoribus, ſi Ianſonio commodum fuiſſet. Adjunxi Bogdani Apologiam, quam me inſcio & conſcripſit & edidit, rogavitque ut tibi cum ſalute tranſmitterem. Ego certe nunquam ne verbulo reſpondiſſem ſatur enim jam famæ ſperno contentiones, & ſufficere mihi credo mentem recti conſciam. Præterea non magnopere laborandum duco quis hujus vel illius inventi autor

sit prior, sat est inventum esse, & ad publicam utilitatem conferre posse. Riolani autem opusculum avidius exspecto, in cujus judicio plus apud eruditos formidinis. Hisce vale amicissime. N. N. & meo nomine saluta, quos salutare consuevisti, & si iconem receptaculi inventor mihi transmisit, & illum salvere jubebis cum prompta officiorum oblatione. Hafniæ

x. Martii St. V. 1654.

Tuus Totus,

TH. BARTHOLINUS.

Quod in cæteris cum laude mentionem mei facias, pro eo Tibi non parum Cl. Vir. me obligatum esse fateor. Cæterum quod spectat inventionem vesiculæ & vasorum serosorum sive Lymphaticorum in homine, quam mihi tribuis, eam mihi non arrogo, licet ex beneficio Cl. Viri van Horne, una cum ipso sectionem admimistraverim. Ad hæc accedunt quod Sympatriotæ meo Dn. P. Pryts nuper per Daniam huc ex Suecia advenienti, testatus sis, in sermone cum ipso habito, Te molestè atque egrè tulisse Bogdani tractatum scriptum atque editum esse. Et tamen de novo amicum Leidensem rogas, ut novis Typis hoc tuum scriptum Bogdano attributum imprimi curet: quasi non sufficeret ex prima editione

gau-

gaudium, quo animum tuum pascas. Tertiò quomodo conciliari possunt, quod propinqui tui & amici asserunt. Bogdanum neque Anatomicum, neque Medicum, neque Philosophum ullius nominis aut doctrinæ, sed purum putum Asinum esse, & in eo occupari, ut sibi creditos sibi similes reddat. Tu vero ubi de Vasis Lymphaticis hominis, non vereris ipsi famam insignis eruditionis attribuere?

Scit quodvis quæ præceps ruit, si non impediatur languescat, & cum primo impetu nil offendit evanescat. Ego studui tuas scopas dissolvere, quo plures superessent fasces, ad coërcendum tantam audaciam, & te ad studium Grammatistarum compellendum, cujus nimis rudis es Rudbek, ut elegantiori scripto res novas, non vitiosissimo divulges, & pœniteat te scripsisse, cum hos relegis solœcismos, quibus ut & aliis abundat scriptum tuum, ut:

Lit. a 2. l. 15. reperierim, l. 22. mædicina Lit. a 2. o. l. 6. æsophagus & alibi multoties. Lit. a 3. o. l. 5. ductuum cholidochum. Lit. b. 1. l. 3. convisiorum. l. 11. Heraclite. l. 14. Galenus Pergameus. Lit. b. 1. o. l. 15. prææallegatum. Lit. b. 2. l. 4. ad eam desideraretur. l. 14. In venarum lactearum originem ac insertionem inquirendam versabar. l. 17. cholidocis quoties. l. 24 expertum passivè. l. 26. ducto virsungiano. Lit. b. 2. o. l. 9. manifesta

evaſerunt pro manifeſtæ evaderent. l.25. originem depromunt. Lit. b.3.l.2. ferit profert, Lit. b.3.o.l.8. reverberatus. l. 12. & 15. ductus hepatici duo egreſſos reperi. Lit. b.4.o.l, erint. Lit. c.1, l. 14. inficias ira actionem. Lit.c.2.o. l. 4. tota vitioſa. l. 14. amandare inteſtinis. l. 24. ipsâ anatome liquet adde ex. Lit. c.3. l.5. tincturâ affecerint, pro infecerint, approbare. l.20. exercitatione adde in. Lit.c.3. o.l.17. revehitur hepati. l. 24. cum oportet & tota linea vitioſa. Lit. c. 4. l.10. vel an, l.23. conſentiere. l.26. inquiramus pro inquirere. Lit. c. 4.o.l.1. ſub quem commentatus pro inquem. l. penul. in cauſam veſicularum inquirendam diligentiſſimos. Lit. d.1. l. 25. cauſſari paſſivè. Lit.d.1.o.l.26. Colidochi. Lit. d.2.o.l.8. hæmoroidalis. l.9. Inteſtino Colon. l. 17. mihi dubium pro me. Lit.d.3.l.23. Vaſa plerique. Lit. d.4.o.l.10. vaſa habentes. Lit. e.1. l.25. commedant. Lit.e.2.l.1. relinquerunt. l.16. ad 20. totus paragraphus uitioſus. Lit. e.2.o.l.27. octoageſimo, quod vitium in Sennerto non exſtat. Lit.e.3.l.24. humore vigent. l.28. in ovis pro ovibus. Lit. e.30. l.9. cernas pro cernes. l.28. Vaſa illarum origo. Lit. e. 4. l.11. gravidum felem vid Voſſium de arte. Gram. lib. 1. analog. c.36. p. m. 151. aliter.

ter. Lit. f.1.l.1. quam pro quas. l. 24. Catti fretus.

Barbaries hac te rudem indicat Rudbek, & ad Grammatistas ablegandum; vel festinantem. Hanc festinationem ipse affers cum potiores errores expungis. Cur non alios eâdem operâ correxisti multò graviores? Sed causa festinationis est verior quod viso Bartholini invento, properavit infelix calamus, ut sibi inventionis laudem arrogaret, praeriperetque Bartholino incondito fœtu, & artubus truncato partu. Insanires Rudbek si sermonis leporem Medico negaveris convenire, quem à barbaris desideramus, & à tyronibus ferulis. Nec te sisto judicio Ausonii, qui suo tempore non infacetè lusit in ejusmodi farina hominem, qui scripserat activâ voce reminisco.

Reminisco dixit Rufus in versu suo:

Cor ergo versus imo Rufus non habet

alias si te barbarum legisset, te cum corde nec cerebrum, nec bilem habere prodidisset.

Claudis Cl. Bartholine, tractatum enumeratione quorundam errorum, quos, certo affirmare audeo; te primum non vidisse. Vidi ego quoque eosdem; sed emendare non potui propter plurimas meas occupationes & festinationem itineris mei suscepti, quibus destrictus fui. Quod vero non nunquam ibi inveneris periodos non ita ad modum Ciceronianum constructas, & forte verba latina civitate adhuc

huc nondum donata, id pro tua humanitate excusare potuisses. Præsertim cum ipse profitear me animum ad expoliendum & ornandum stilum nunquam appulisse. In hoc quidem libens tibi palmam concedo, neque pudet monita tua sequi. Prodis vero affectum tuum nimis difficilem corrigendo ea; quæ facile potuisti videre Typographo esse adscribenda: nempe cum litera, quod facile fieri potest, transposita est. quem errorem non esse appellandum, vel ex eo, si æquus es, judicabis, quod alio loco rectè scriptum idem verbum sis reperturus. E.G. cum semel pro ovibus, Typographus posuisset, C. X. ovis, quod aliis in locis C. V. recte est appositum. &c. Deinde multa sunt à me recepta ex usu Medicorum & Philosophorum, qui cum suas res agunt, non admodum solliciti esse de verbis solent, cujus farinæ etiam videtur esse tuum illud ingrossari, & quod præterea, si otium his nugis esset, notari posset. Denique perplurima sunt, quæ inimica tua manus traduxit, ut solæcismos, quæ recto sensu vera & genuina sunt. Quo enim titulo & ratione defendere poteris, quæ reprehendis Pag. 20. 23. &c. Quicquid sit, existimo sufficere, modo barbariem evitem, res, ut in se sunt, dilucidè & planè explicasse, neque oportere molestis & intricatis periodis

sensum

sensum obscurum reddere, adeoque rem ipsam involvere. Nam id arbitror in scientiis, quæ describi rectè debent, vel imprimis esse necessarium, ut verba minus, quam res observemus: in quo Cl. Bartholine dabis mihi veniam, si non nulla reposuero errata, quibus in rem peccasti. Monstrabunt autem ea non ruditatem in verbis sed maximam in rebus ignorantiam. Considera,

Tractatu tuo de Lacteis.

PAg. 60. *Spargebant glandulæ lacteæ novæ ramulos ad pancreatis partem duodeno subjectam, emulgentem venam sinistram transcendentes, alios quoque ad arteriam emulgentem dextram.*

Pag. 66. *Manifestum jam est & certa brevissimaq; via inventa est, qua potatores, qui cum Promacho congios vini vel quatuor hauriunt, vel cum Boneso, qui bibit quantum hominum nemo, non ut vivant nati sunt, sed ut bibant, citissimè & copiosè mejant.*

Pag. 68. *Laborent quantum velint Practici in renum intemperie, viarum laxitate, attractricis vel retentricis imbecillitate, nunquam tamen se expedient, nisi breves has vias habuerint perspectas, per quas, sine substantiæ mutatione aut sanguinis miscela, cito meatu transeunt assumpta.*

Pag. Eadem. *Iam demum assequimur, unde in quibusdam lac seu chylus cum urina sit redditus.*

Pag. 70. *Promptum nobis videre, cur nephriticos exhibita remedia lithontriptica statim subinde sublevent; vel quo modo Venerem stimulantia, legumina &c. brevi mora & sine impedimento viarum ad arterias emulgentes deveniant & spermaticas, quia in consueto & hactenus recepto itinere longiore, virtus alioquin remediorum facilè hebesceret.*

Pag. Eadem. *Nec amplius dubitamus, cum hausta Diuretica in urinis odorem & colorem imprimant, ut de Terebinthina, Cassia, Iunipero, aliisque notum.*

Pag. 71. *Quomodo, & qua via expedita, cum cibus deglutita multa, simul per urinas sint reddita, nemo est qui non divinare possit.*

Pag. 73. *Patet præterea nobis jam oculatioribus, cur hydrops interdum hausto potu statim distendat ventrem, quod in amico meo intimo non ita pridem observavi; nempe ob peritonæi tunicam, cui glandulæ lacteæ immersæ latent, impletam.*

Pag. 82. Connectuntur *inferius, ut dictum, Receptaculo vel glandulis lacteis; postica parte spinæ dorsi; antica œsophago, ad quem & ramulos mittunt.*

Pag. 89. *Si vera est historia; inventis lacteis thoracicis facilè viam modumque inveniemus. Axillares*



lares rami, seu potius insertio lactearum in axillares ampliata fuit & solito majoribus ostiolis hiabat.

Pag. 103. *Ipse* ego *ante annos paucos in Orbe pisce utriusque sexus non solum venas lacteas inveni sæpius, sed rerum in hepate insertionis locum semper controversum.*

Pag. 108. *Et sæpe, quia omnis chylo præcluditur ad thoracicas via, superfluum revomunt.*

Pag. Eadem. *Hepar sanum sanguinem conficere debet, ubi cor patitur, & venæ thoracicæ nihil deferunt chyli sive vitio viarum obstructarum aut compressarum.*

Pag. 109. *Proportio esse debet vasorum lacteorum ad vasa chylum recipientia, sive hepar sive cor. At nulla est ductuum lacteorum Pancreatis & thoracicorum ad cor vel hepar proportio, si vel soli hi vel illi chylum deferunt.*

Pag. 110. *Ita tenuiorem sanguinem per septum cordis ad sinistrum ex dextro ventriculo transcolat, crassiorem verò & copiosiorem per pulmones circulat.*

Pag. 114. *Ad cor per Receptaculum & thoracicas tenuem tantum distribui multa habeo indicia.*

Pag. Eadem. *Quò spectat & eorundem ductuum angustia, imo exilia foraminula quibus patent in subclavias, nonnunquam unicum tantum tenui*



valvula munitum, facile à crasso chylo rumpenda.

Pag. Eadem. *Nec debet ad cor per subclavias crassus chylus inferri nondum satis per moras in hepate concoctus aut præparatus, nam à calore cordis adureretur potius vel suffocaret hominem, vel continua ejus systole seu contractione impura ad partes nutriendas devolveretur, ex quibus Ilias morborum & pessima exsurgeret nutritio.*

Pag. 115. *Receptaculum ipsum, præter subtilem, nec alium recipit, nec expellit, quia cæca sunt ostia per quæ illabitur chylus & elabitur, turgetque chylo antequam crassior in ventriculo sit perfectus.*

Pag. 116. *In aliis eadem hora dissectis apparuerunt nominatæ viæ splendente sero plenæ. In aliis per vices, serum & lac commeabant iisdem viis.*

Pag. 118. *Hepati aliquid transmitti communio lactearum ex pancreate prodeuntium monstrat, & succi, identitas, ut barbare loquar, hic & ibi similis.*

Pag. Eadem. *Imo observavimus in homine, canibusque promiscuam lactearum à Receptaculo in hepar prope portam insertionem, ut suspicio sit ex Receptaculo non tantum ad thoracicas protrudi chylum, sed ad hepar quoque, quemadmodum ex pancreate mesenterii & ad hepar & Receptaculum distribuitur idem.*

De

De Dubiis Lacteis.

PAg. 142. *Certè thoracica ex axillari provenit, in quam lactea nostra desinunt.*

Pag. 152. *Glandulas axillares abdominisque lactei ductus perreptant vel exterius lambunt, sive ut fulcri vice illis utantur,*

Pag. 153. *Adhac chylus fibrarum autor, qualis qualis sit, ex ventriculo venit, tam ille qui thoracicas ingreditur, quam qui hepar.*

Pag. 157. *Quis in Chylo concretionem talem animadvertit? Expositus aëri demptus ex lacteis chylus, permanet liquidus.*

Pag. 164. *Per intestina purulenta lactiformis interdum effluit materia, vel sincera vel stercoribus permixta, sine ullo intestinorum dolore, qua creditur manare à mesenterio ulcerato & abscessum passo, quum tamen procedat ab ista collectione chyli in magna glandula mesenterii.*

Pag. 167. *Natura autem providentia adscribimus, quod non nisi utilem chylum lactea sugant.*

Pag. 176. *Arteriis emulgentibus conjuncta lactea proximâ per renes viâ vinum liberalius haustum & thermales aquas eliminant.*

De Vasis Lymphaticis in brutis.

PAg. 211. *Lactea vena, prasertim thoracica, in gelidis cadaveribus supersunt, partim quod*

musculorum compage non adeo premantur arcte, partim quod tunica illis sit robustior, & amplior vasis capacitas. Aquosæ contra venæ tenuissimis vestiuntur membranulis, telis aranearum similibus, quæ evacuato liquore translucente in totum evanescunt.

Pag. 216. *Qui in nervis circulationem admittunt, nullam commodiorem hac viam invenient, quippe subtilissimos spiritus in splendidam aquam resolvi quotidiano in alembicis experimento constat, tumque ex nervorum summis particulis progrederentur.*

Pag. 217. *Vnde truncum nullum habent, sed ex partibus diversis hinc inde veluti rivuli salientesque fontes se paratis originibus ad fluvios duos tendunt, glandulam nempe mediam lacteam & axillarem venam, ut in communem cordis oceanum pleno gurgite exundent.*

Pag. Eadem. Substantia, *est tenuissima pellicula pellucida, instar telæ araneæ subtilis, ut levissimo vulnere & tactu rumpatur.*

Pag. 218. *Hinc est quod effusa limpida aqua statim dispareat, quia applicantur membranulæ illius venis subjectis, ut discerni nequeant etiam à* Lynceo.

Pag. 219. *Maxima pars annulari forma venas ambiunt, hederæque instar amplectuntur, per tenuissima filamenta illis alligata & connexa.*

Pag.



Pag. 220. *A cruribus eodem modo permulta adſcendunt, ſocia venæ cruralis & Iliacæ, quam ambiunt modo arcte modo laxe, circulorum inſtar, progrediunturque ad meſenterium, ibi demq; cum portæ ramis in glandulas inſeruntur, via oculis haud ſatis conſpicua. Ab hepate quoque & veſiculâ fellis ejuſdem portæ ſocietate per eandem viam decurrunt.*

De Vaſis Lymphaticis in Homine.

PAg. 16. *Ecce circa ramum Meſentericum & Splenicum duo Vaſa Lymphatica ſe produnt tantò illuſtriora, quanto viſu magis grata.*

Pag. 17. *Majora illa duo per ramum Meſentericum progredientia; digito compreſſa humorem limpidum obſtinate retinebant, nec ad inferiora propellebant, unde ex cruralibus Lymphaticis orta judicabam, propter valvulas & curſum liquoris nihil remeare admittentibus: Diſparuit autem verſus ſuperiora ſupra digitum quidquid cavitati inerat, ut conſpici amplius nullo viſu potuerit. Ex hepate quæ emergebant, eundem humorum curſum ſervabant, quem in brutis notavimus.*

Pag. 28. *Lymphatica autem primo & ſola, ſolam aquam linpidam excipiunt & ad deſtinatos terminos alveoſque effundunt.*

Pag. 43. *In Venæ ſectione magna ſeri copia in ſanguine emiſſo fluitans, ex Vaſis Lymphaticis cum vena pertuſis prodit.*

Pag. 43. *Fieri aliter non poteſt, quin vulnus venæ à lancettâ inflictum, pertundat quoque incumbentia illi Lymphatica. Hinc plus minuſve aquæ ſanguini innatat pro vario ramorum Lymphaticorum in venis ſitu, quæ ſi lancettæ aciem effugerint, craſſior in pelvi ſanguis aquæ defectu hærebit.*


Pag.



Pag. 48. *In Vesicatoriis præcipua Lymphaticorum Vasorum opera elucet, ubi ichor exprimitur & provocatur tenuis, quem vel Lymphatica vicina suppeditat, vel, si in locis excitentur, in quibus Lymphatici rami non conspiciuntur, partes ipsæ mittunt. Et sanè hinc manifestum jam evadit, qua via in malignis morbis vesicatoria extremis artubus apposita, à centro ad circumferentiam provocare dicantur venenum.*

Pag. 53. *Præter Vasa Lymphatica ex hepate & vesicula fellis multiplici ramo ad Receptaculum descendentia, olim nobis observata, vidimus præterea in cane per venam cavam adscendentem aliud vas Lymphaticum prioribus per omnia simile oblongumque repere, & à diaphragmatis regione versus Cor progredi, incumbereque more aliorum, trunco venæ cavæ.*

Pag. 54. *In Cercopithecis Vasa Lymphatica ultra glandulas in Iliacis ad artus porrigi, visum hic amicis meis, in Vasa Lymphatica diligenter inquirentibus. In aliis plerisque animalibus per pinguedinem transire in Iliacis sunt observata, nullis glandulis mixtam, & in artubus semper sine harum vel minimo indicio.*



Hæc sunt, Cl. Bartholine, folia; vide ne in te cadant arbores. Memineris te hominem. Et si ita lubet, congrediamur: ostendam tibi millia errorum in Anatomia Reformata, imò omnibus tuis Anatomicis commiseris, & quam vix in his tyro merearis audire, qui dictaturam in alios sumus. *Vale.* Et monitus sape.

FINIS.

Errata.

Pag. 10. *l.* 17. *pro suis lege tuis. pag.* 28. *l.* 1. *pro Medicina l. Medicinæ. pag.* 53. *l.* 28. *pro hæc l. hac. pag.* 65. *l.* 1. *pro Lactearum l. Lymphaticarum pag.* 72. *l.* 14. *pro sint l. fuit. pag.* 109. *l.* 10. *pro suis l. suis. pag.* 112. *l.* 9. *pro fruere l. fuere.*